

Regim.
Ferdin.
II.


Regim
erdin.
II.

Regim
Ferdin.
II.




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
8 A
42



Assistentia Germaniae





TYPOGRAPHI

LECTORI S.

HIs turbarum publicarum temporibus ſemper nobis æquiſſimum maximeque neceſſarium viſum fuit, ut omnium Rerumpublicarum, quantum fieri poſſet, accuratiſſimæ Deſcriptiones in publicum conferrentur. Cui nos conatui animum addicere ante complures auſi ſumus. Quo ſucceſſu, & qua dili-

gentia; penes alios esto. Hoc affirmamus, nulli rei nos unquam, quo à viris undequaque doctissimis, rerumque omnifariarum peritissimis, haberemus quod lucem mereretur, pepercisse. Porro, considerantes, quemadmodum Imperator in Institutionibus Iustinianæis *mortalium nobilissimus* vocatur; ita & Aulam & Oeconomiam Imperatoris omnium Rerumpublicarum umbonem esse oportere: alicui sollerti & absolutæ Regiminis & Aulæ FERDINANDI II, Imperatoris Germanorum florentissimi, acquirendæ, Ideæ dare operam cœperamus: donec tandem hæc,

quam

quam in præſentia publico juri donamus, nobis obveniret. Nomini, ſeu editoris, ſeu collectoris, parcendum fuit; ſi fortaſſe nonnulli modice literati Aulici ſomniare auſint, hujuſmodi ſtudia literarum, & ſudores, à præclaræ ſortis viro eſſe alienos. Certe, quod ſacra Cæſarea Majeſtate non indignum eſt, prudentes & induſtrii cujuſvis ſtatus Politici nunquam dedignabuntur. Hoc obſervavimus, hanc accuratam dicti Regiminis & Aulæ Cæſareæ Deſcriptionem, quæ utraque in tam conquaſſato totius Germaniæ ſtatu hactenus tamen integra, talique Majeſtati

paria manſere, non poſſe non dictæ Majeſtati quam maxime decoram, cunctis vero quam gratiſſimam, nemini noxiam, nobis denique in teſſeram ſtudiorum erga publicum noſtrorum eſſe. Huic Ideæ aliquot Cæſareorum Diplomatum formas, è vernaculo gentis idiomate in communem Latinam traductas, addidimus; propter eos, qui & linguæ Germanicæ ignari ſunt, nec hujuſmodi formulas ubique obvias inveniunt. In talibus, ad verborum, & linguarum, rerumque geſtarum cognitionem potius quam partium ſtudia, tendunt conatus noſtri. Epiſtolica relatio

tio Danielis Eremitæ, de itinere Germanico, quod Legatione Magni Hetruriæ Ducis ad Rodolphum II, Imperatorem, Principes, & aliquot Respublicas Germaniæ, anno MDCIX peractum fuit, quæ calcem hujus Editionis tenet; præterquam quod hactenus à multis fuit desiderata, ideo potissimum luce digna judicata est, quia præcipua ferme documenta, quorum cujusvis sortis Legati perpetuo memores & periti esse debent, historice, nec absque lepore & sale, proponuntur. Hæc Epistola, quoniam inde à prima sua nativitate jam plurimorum subdita

fuit privatis calamis, nullibi ferme incorrupta, planeque integra haberi potuit. Nos tamen eorum opera, qui aut pluria hujus apographa viderunt, excripseruntve, vel etiamnum habent, ad hanc integritatem, primitivæ, uti firma spe conjicimus, quam simillimam, reduximus. Tu, Lector, si absque insano partium studio talia, priusquam sententiam feras tuam, legeris, oleum operamve nullus perdes. Monendus es quoque, ut placeat pagina 250, linea 4 & 5, pro *dignamur* legere *dignari*. Vale.

SYL-



SYLLABVS CONTENTORVM.

Status particularis præſentis Regiminis Sac. Cæſ. Majeſtatis Ferdinandi II, &c.

Custodia, suburbiis, Iurisdictione Ecclesiastica, Episcopo, Academia, regimine civili, locum tenente, & Arce Cæsarea. 5

III.

Quis Romanorum Imperator Ferdinandus Secundus sit, deque Cæsareæ Suæ Majestatis virtutibus, & qualitatibus, devotione & pietate, variis humiliationis & devotionis actibus, negotiis, recreationibus, & accubitu mensæ. 32

IV.

Qua ratione Cæsarea Majestas, eundo in templum vel sacellum inserviatur; ac quomodo Legati & Oratores se tunc gerant: tum etiam quomodo dicta Cæsarea Majestas redeundo è templo vel sacello in ædes suas, concomitetur, quidque tunc proprie fieri soleat. 48

Status Aulicus.

XV. *Spe-*

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

Iter

Iter Germanicum.

XXIV.



STA-



STATVS PARTICVLARIS

Præsentis Regiminis Sacræ Cæsareæ Majestatis,

FERDINANDI Secundi, &c.

I.

Quare, & quibus de causis, Sacra Cæsarea Majestas Ferdinandus Secundus, ab initio sui Imperii, ad hoc usque tempus, sedem suam in Vrbe Viennâ, non mutarit.

ORdinarium Sacræ Cæsareæ Majestatis statum, Augustissimi scilicet Cæsaris FERDINANDI II, nunc temporis imperantis, quod

attinet: ante omnia notandum, Sacræ Suæ Cæsareæ Majestatis, ab auspicio sui Imperii, ad hæc usq; tempora, Sedem immutatam, Urbem Viennam fuisse. Tum propter cōmodum Urbis situm, amœnitatem, copiam annonæ, omniumque rerum homini necessariarum, ac inprimis ob adjacentia nemora & sylvas, venationis exercitio quam opportunissimas, aliaque amœnissima loca; quorum præcipuorum nomina vulgo & vernaculo idiomatæ sunt: Prater/Begelhoff/Newgebew/Caterburg/Ebersdorff/Laxenburg/Wolckersdorff/Orth/Closter Newburg/ seu Monasterium Neoburgicum; Newstat/ id est, Neapolis, &c. Tum etiam præcipue, his diuturnis & continuis bellis Germanicis, propter munitionem Urbis, & quod Cæsarea Majestas ibi cæteris suis Regnis, & Principatibus hæreditariis, quasi tuto sit circundata, quorum ope & auxi-

auxilio, necessitate sic urgente, eo magis ac tãto commodius uti possit. Tum denique, quoniam beneficio amborum fluviorum navigabilium, ENI & DANUBII, quæque Aulæ Imperiali sunt necessaria, è variis regionibus & locis Germanici Imperii & Italiæ, eo facilius haberi & adduci queant.

II.

De Vrbis Viennæ, quæ nunc Imperialis est Sedes & Aula, situ, circuitu, munitione, propinquante Danubio flumine, Præsidio, sive Custodiâ, suburbiis, Iurisdictione Ecclesiastica, Episcopo, Academiâ, regimine civili, locum tenente, & Arce Cæsareâ.

VRbs VIENNA Inferioris, sicuti Oppidum Lintzii superioris, Archiducatus Austriæ est Metropolis. In quibus ambabus Civitatibus nunc singulis fere annis, ac

nonnunquam, prout necessitas postulat, eodem anno sæpius Conventus Provinciales celebrantur, ubi, Sacræ Cæsareæ Majestati, id clemẽtissime deposcenti, tanquam legitimo Principi & Domino Territorii, toties aliquot centena millia aureorum, à subditis, quam demississime conceduntur & deferuntur.

Civitas ipsa in satis amœna planicie, ac in solo natura frumento, vinoque, & omnis generis aliis fructibus & alimoniis feracissimo & optimo, sita est, prope flumen Danubii, quod quidem licet saltem quasi Brachium veri Danubii sit, tamen istius quoque loci, communium navium, secundum constitutionem temporis & fluvio crescente, capax est. Decrescente vero, naves circa Nusdorffium uno milliari, vel etiam multo superius ad Monasterium, quod vulgo vocatur Closter Newburg / duobus integris

gris ab Urbe milliaribus, ſubſiſtere coguntur.

Dimidio plus quadrantis milliaris Germanici ab Urbe Vienna Moraviam verſus, ſunt & alia quoque tria disjuncta, & partim ſatis magna & navigabilia Brachia, ſeu ſeparata flumina, ingentis Danubii fluvii, quibus quinq; pontes impoſiti ſunt, qui cum neceſſe eſſet, ad majorem Civitatis ſecuritatem, dejici poſſunt.

A meridie, Urbs Vienna fluviolum, ſeu Torrentem potius, habet, ejuſdem cum Urbe nominis Viennam dictum, à montibus Occidentalibus originem & ſcaturiginem ducentem, cujus aqua cito creſcit, & diuturnis pluviis facile exundat; Molendinas aliquot circumagitat, nec procul à foſſis Urbis in Danubium ſe exonerat. Verſus meridiem & ſeptentrionem, quaſi Brachium Danubii eſſet, fluit, & ab Occaſu colles & montes Auſtriam

ſuperiorem ſpectantes, retro relinquit.

Circuitus Urbis eſt fere dimidii milliaris Germanici, vel circiter; Urbs probe exculta, variiſque & egregiis, magnis mediocribuſque foris & locis, ac partim nitidis plateis, multiſque ſplendidis & conſpicuis ædificiis, quibus tamen plus ſplendoris, quam commoditatis ineſſe ſolet, exornata.

De munitione Urbis, ſatis erit, hoc loco breviter indicare, eam portis cardinalibus ſeu præcipuis ſex, Propugnaculis vero magnis decem, firmatam & munitam eſſe, quorum Propugnaculorum major pars, (& quidem nonnulla Sacri Romani Imperii) ſatis valide & alte lateribus exædificata, ac intrinſecus humo repleta, quædam quoque, præcipue ad Ortum & meridiem, (quo tanto validior ſit Urbis defenſio,) caſamattis, ut vulgo vocantur, altius erecta & emendata ſunt.

ſunt. Ante decennium plus minus, Cæſarea Majeſtas ingens totum è humo Propugnaculum prope & ex adverſo Cæſareæ Aulæ & Archiducalis Arcis, ad majorem ejus ſecuritatem, quoniam dicta Arx olim in eo loco parum tuta & munita erat, erigi curavit.

Angulare Propugnaculum, partim meridiem, partim Occaſum reſpiciens, ante biennium egregie renovatum fuit.

Propugnaculum Scoticum è humo tantum excitatum, nunc quoque totum valido muro cingitur, & reliquis Propugnaculis adæquatur.

Ab Ortu eſt Porta, vulgo dicta, das Stubenthor; à meridie Porta Carinthiaca, & Porta Arcis, vulgo, das Burgthor; ab occaſu Porta Scotica & Porta nova; à Septentrione Porta Rubræ Turris, vulgo, der Rothe Thurn. Porta Arcis, Porta Carinthiaca, Porta nova, & Porta, quæ Stubenthor dicitur, validiſſi-

mæ, totæ fornicatæ, admodum excelsæ & conspicuæ sunt, cum longioribus Porticibus: Reliquæ duæ sunt saltem Turres. Si aliquis Urbem è Porta Stubenthor dicta, circuire, & ad portam Rubram Turrim dictam versus, viam capere velit; Prætereundum est ipsi, Primo, prope Propugnaculum quoddam, quadratis lapidibus exstructū, duas altas, muratasque Casamattas habens, quarum superior Dominicanorum Templum, cujus altitudo Propugnaculum hoc & Casamattas superat, fere tangit.

Hinc ad aliud Propugnaculum perveniet, lateritio muro solide firmatum, quod, ut & præcedens, satis profundis circumducitur fossis.

Ab hoc Propugnaculo, Urbis à Sinistra, parva ac depressa quædam mœnia duplicata ad exteriorem aliquam Portam porrigentia, visuntur: à Dextra vero proxime ab urbe præterfluit Danubius, cui Pons

ligneus,

ligneus, vulgo die Schlagbrucken dictus, superextructus est.

Hæc exterior Porta in amplam plateam deducit, ubi Civitas admodum nudata est; à sinistra enim saltem mœnia habet valde humilia, & à dextra solum Danubium, qui interdum illic præterequitari potest, cum nonnullis ad ejus ripam erectis munimentis, ad Rubram Turrim tenus, & ulterius quoque ad alteram Portam exteriorem, prope quam Platea fit angustior. Ab hac memorata Porta, Urbs sinistrorsum longis, validis & excelsis mœnibus, super quibus tres excubiarum domunculæ ædificatę sunt, cincta est, quæ ad Armamentarium, hujusque introïtum & exitum, & ad proximum inde Propugnaculum continuantur; Pontem quoque versatilem habet.

Porro, ad tertium Propugnaculum, quod quidem magnum est & elegans, sed fossis & aqua carens;

hujus superioris muri bona pars è medio corruit & redintegratione opus habet.

Dein ad Portam novam, largas quidem, sed admodum depressas sine aqua fossas habentem, Henricus Matthæus senior Comes de Turre, Anno 1619, petardum huic Portæ apponere, ac Equitatu suo tunc temporis Ebersdorffii subsistente, Urbem intercipere conatus est.

Inde ad quartum Propugnaculum; quod emendatione & renovatione similiter indiget. Pone hoc Propugnaculum, est excelsum vallum, cum parvo ei imposito muro, ad Portam Scoticam tenus, ubi fossæ Civitatis, quanquam aqua destitutæ, valde profundæ sunt.

Istinc idem Vallum & fossæ simili quoque modo, ad proximum & quintum usque Propugnaculum, distenduntur; Hoc quidem Propugnaculum humo tantum excitatum

tum est, sed nunc funditus lateritio muro includitur, ac in decentem formam & proportionem redigitur; atque isto modo Urbs in illo loco tanto magis, uti necesse est, communitur.

Peditatus Bohemicus legionis (vulgo Regiment) Tieffenbacensis, qui tunc dicto Seniori Comiti de Turre parebat, & haud procul ab Urbe in pago cui nomen Hörznals/ commorabat, prope hoc Propugnaculum, Urbem (si supra memorata impressio ad portam novam effectum suum sortita, nec à Patriota quodam detecta fuisset) oppugnare & subjugare debebat.

Dictum quoque celsum vallum, cum sub extructo muro, in admodum profundas fossas, sine aqua tamen, protendit; recta à tergo & ex adverso Sexti Propugnaculi, super quo præsens Præfectus Urbis Baro Löbel/ hortulum cum domo recreationis, secundum hodiernum splen-

ſplendorem, ædificari curavit; & quoniam hoc Propugnaculum nuper præ cæteris decoratum, & renovatum, ac ſimul reformatum fuit, reliqua omnia venuſtate antecellit. Pone, culmen ſeu Caſamattam lateribus quoque confectam, ac priori ſimilem habet.

Deinde ſæpe nominatum Vallum ad Aulam uſque Cæſaream ſeu Archiducalem Arcem, cum ſuperexcitato quoque humili & gracili, ac in nonnullis locis ſatis debili muro, ſe extendit; ubi foſſæ per elevationem exterioris viæ profundiores factæ ſunt.

Præterea, ad Portam Arcis, vulgo das Burgthor apud quam vaſtum & ſeptimum è humo Propugnaculum extat, quod à tergo aliud adhuc minus Propugnaculum, Caſamattæ inſtar, habet, verum in ſublime non erectum, ſed totum muratum eſt.

Ab hac parte, miles Bohemicus, ducto-

ductore Seniore Comite de Turre, è ſuburbio S. Ulrici aliquot glandes in Cæſaream Aulam & Arcem Archiducalem, quin & in ipſum Equitum & Nobilium Conclave, ac in Ante-Cameram, ejaculavit, & Cæſaream, tunc Hungariæ & Bohemiæ Regiam Majeſtatem, ex ordinario ejus conclavi fugavit.

Rurſus ſæpe dictum Vallum cum erecto muro ſuperius, & fortificationibus inferius, inde in foſſas ante paucos annos valde excavatas & ublatas porrigitur, ad Portam pro-)e Carinthiacam tenus, ante quam 'alidum, ingens, elegans & nitidum 'ropugnaculum, numero octaum, totum è lateribus erectum, onſpiciendum eſt, dictæ Portæ :arinthiacæ, proxime adhærens, one quod, ſicuti ſupra Portam, :aſamatta quoque erecta eſt. Præ- :ctus vigiliarum Urbis, amœnum ıum domicilium ſuper hac Porta ıbet.

Ab

Ab hac Porta Carinthiaca, loco ſæpe dicti Valli, mænia lateritia, ejuſdem fere cum Propugnaculis celſitudinis, extructa ſunt, foſſæ vero ejus loci admodum profundæ & altæ, aqua tamen, ut & in ſupra memoratis locis, vacuæ.

Sequitur tunc nonum, egregium ſane, æque ac præcedens, Propugnaculum, cum Aquæductu in Urbem; Atque huc uſque foſſæ ſimiliter aridæ & ſiccæ, circa hoc tamen Propugnaculum, ab Aquæductu, (cujus uſus ad inducendam in eas aquam neceſſariam, inſervire debet) aliquantulum humidæ & paluſtres ſunt: ab ejus vero angulo incipiendo ac deinceps inferius magis ac magis aqua replentur, profundioreſque fiunt.

Tandem abhinc eſt quoque Vallum ad decimum uſque Propugnaculum, cui vulgo nomen, **die obere Stuben Baſtey**, equidem exquiſitum, præſtans, vaſtum & excelſum,

ſum, lateritio quoque muro ſolide cinctum, in angulis vero quadratis lapidibus, ac magnifica ſplendidaque inſcriptione & aureis in tabula lapidea exciſis literis, condecoratum, & alto muro ſimiliter munitum & perfectum, à Ferdinando Primo Imperatore extructum eſt Propugnaculum.

Tria hæc ultima Propugnacula ejuſdem altitudinis, ac ſimili modo murata ſunt; Inter alia, omnia & ſingula eorum, peculiari ſua, aureis literis in tabula lapidea inſculptis, Inſcriptione, adornata ſunt.

Horum decem Propugnaculorum Urbis Viennæ, tria tantummodo in aqua nunc ſita ſunt, quæ quidem à Danubio, & certis quibuſdam venis in Urbem extenſis, originem trahit. Reliqua vero omnia in arido ſolo exiſtunt.

Foſſæ quoque Urbis admodum diſpares & differentes ſunt.

De cætero Civitas hæc magnis

quoque

quoque & spatiosis suburbiis ampliatur, in quibus plurimi speciosi, & amœni horti, cum ędibus recreationis, reperiuntur, ut & alia quoque haud pauca nec contemnenda domicilia, quorum multa, præcipue ante Portam Arcis, das Burgthor dictam, & Portam Carinthiacam, versus S. Ulrici, ac fluviolum Viennam, trecentorum plus minus passuum spatium, tam ad amplificãdam viam & vicos, quam etiam ad majorem ejus loci Urbis securitatem, partim demolita, partim improviso incendio, aliquot ante annos, concremata fuere.

Præsidiarii hujus Urbis & Munimenti milites, hoc tempore mille circiter pedites, in octo vexilla distinctos, efficiunt; quibus, ut & Civitati quoad ejus defensionem & conservationem, cum limitata potestate, præest dictus Baro Löbel/ Tribunus, vulgo Colonellus, ac Sacræ Cæsareæ Majestati à Consiliis

Aulico.

Aulico-bellicis, ejuſdemque Conſilii Bellici Vice-Præſes.

Ante octo circiter annos, arma Civibus Viennenſibus, quæ illis anno 1619 Archidux Leopoldus, tunc temporis Urbis Gubernator, domeſticatim auferri juſſerat, pártim reddita fuerunt. Cum enim eo tempore cives ut plurimum Euangelicam Religionem profiterentur, ac ſuſpicio eſſet, inter eos & Bohemos, præcipue vero Seniorem Comitem de Turre, ſecretam intervenire intelligentiam: Superiores, ne ſeditio inter Cives Euangelicos, contra Catholicos oriretur, metuentes, illos ideo inermes fecerant.

Conſul Urbanus, juſſu Cæſareæ Majeſtatis, ut Principis legitimi hujus Archiducatus Auſtriæ, è civium medio, quatuor Vexillationes pedeſtres, ſingulam trecentorum Capitum, delegit & erexit: hujus delectus uſus eſt, neceſſitate urgente,

ad defensionem Urbis; sicuti olim factum, tempore novissimarum Hungaricarum seditionum & rebellionum, sub directione Gabrielis Bethlehemi, Principis Transylvaniæ gestarum. Cum enim pars Præsidianorum militum ad Arcem Posonicam, ratione periculi deducta esset; Delectus hic Civium tunc integros quatuor menses, in Urbe quidem sola, & ad ejus solius defensionem inservire necesse habuit. Stipendium Præsidiariorum est sex florenorum, singulis mensibus & capitibus: quia vero illud neque bene, neque satis tempestive accipiunt, in publicis sæpe vicis mendicantes visuntur.

Bello, & cum periculum est in mora, aliquot Equitatus turmæ, vulgo Cornet/ in suburbia recipi solent; alias vero ordinaria custodia manet.

Sexaginta millia animarum in urbe Vienna, utpote populosissima,

tam

tam intus, quam extrinsecus comprehendi, nonnulli arbitrantur: Cujus vero numeri veritas & certa notitia, difficilime indagari potest.

Suburbium illud trans Danubium situm, Judæi quasi Insulam quandam, separatim incolunt. In Urbe autem certa loca commerciis apta habent, ubi de die merces suas vendunt, in Urbe vero pernoctare, iis integrum non est; Quoniam tamen Aulæ Imperiali multum prosunt, aliisque de causis & rationibus, non modo lubenter in eadem Urbe tolerantur, sed & maximis quoque privilegiis & protectoriis communiti gaudent.


Religio Euangelico-Lutherana, seu Augustanæ Confessionis, olim in hanc quoque Urbem introducta fuit, quæ postea sub Imperatore Maximiliano II adeo accrevit, ut dicti Euangelici, inter alia suæ Religionis exercitium in ipsa Urbe, ad Domum usq; Provincialem in Mi-

nimorum templo habuerint. Et licet Imperator Rudolphus II, ac antea quoque Ferdinandus I dictæ Religionis exercitium ibi abolere pro possibili sibi proposuerint, & magnum quoque Reformationis initium susceperint, eousque quoque rem perduxerint, ut sub Rudolpho II. Imperatore, status Euangelici Austriæ Inferioris exercitium suæ Religionis in Urbe Vienna amiserint; visumque fuerit, acsi universalis reformatio totalisque oppressio & eversio omnium Euangelicorum in istis oris subsequi debuisset: Imperator tamen Matthias I. maximis de causis Ordinibus Euangelicis Austriæ Inferioris, exercitium suæ Religionis in pago, Hörnals dicto, quadrante circiter milliaris Germanici, ab urbe distante, clementissime concessit; eosque summa Cæsarea & Archiducali protectione communivit; non obstantibus Catholicis, ac præ-

cipue

cipue Clericis, quos iſtud Religionis exercitium vehementer offendebat, quique ſibi perſuadebant, Conciones Cardinalis Cleſelii effecturas, ut Imperator miniſterium ad minimum in memorato pago Hörnals/ Euangelicis interdiceret, neque iis urbem ingredi ad copulanda Euangelicorum matrimonia & ſacra Sacramenta Cœnæ ac Baptiſmi adminiſtranda, permitteret. Cum vero modernus Imperator FERDINANDVS II. Sacri Romani Imperii habenas aſſumpſiſſet, Urbem quoque Pragam poſtea expugnaſſet: Clerus Cæſareæ Suæ Majeſtati ſerio inculcavit, Status Euangelicos Provinciales, ab Imperatore quondam Matthia I, ſuæ Religionis exercitiū in pago Hörnals/extorſiſſe, ac ſe adeo multiplicaſſe, ut in iſta congregatione nonnunquam viginti, triginta, imo & quadraginta vel quinquaginta hominum millia inveniantur; cum

eni-



enixissima petitione, ut dictũ exercitium mandato publico aboleretur. Hinc factum, ut reformatio Religionis in Urbe Vienna, mandato Cæsareo & Archiducali instituta, Exercitium quoque Augustanæ Confessionis in sæpe memorato pago Hörnals/ (qui postea Basilicæ Viennensi S. Stephani donatus fuit) penitus inhibitum, (hoc quidem prætextu, ac si Baro Helmhardt Jörger/ qui tunc in arresto Lintzii erat, nullũ jus patronatus in dicto pago haberet) omnibusque simul Euangelicis Concionatoribus, ne inposterum Urbem sub gravissima pœna ingrederentur, interdictum fuerit: In Austria tamen quoad personas suas sicuti antea quoq; tolerabantur, ac licebat adhuc quibusdam Civibus & incolis Urbe exire & Concionibus ac Sacræ Synaxi, secundum Euangelicum ritum, Intzersdorffii (locus quidam vulgo sic dictus, ad Dominũ Geyerum

rum de Osterburg, Equitem, ſpectans) unius ab urbe milliaris iter, bona venia intereſſe.

Tandem vero Cæſarea Majeſtas, Anno videlicet M. DC. XXVII, totalemEuangelicorum Eccleſiaſtarum expulſionem, & quidem præfixo brevi termino, ex univerſa Auſtria, cæteriſque Cæſareæ Suæ Majeſtatis Ditionibus hæreditariis, publicis patentibuſque mandatis Cæſareis & Archiducalibus, ſevere injunxit, iis prohibendo ſub graviſſima indignatione & irremiſſibili pœna, ne unquã in eas reverterẽtur, aut quocunque modo ibi commorarentur.

In Eccleſiaſticis rebus, Urbs Vienna Epiſcopum ſuum agnoſcit; cujus Juriſdictio in Spiritualibus, in totum Epiſcopatum Viennenſem ſe extendit. Epiſcopus Officialem quoq; ſuum, ſemper Viennæ habet.

Baſilica, ſeu Templum Cathedrale ibidem, Divo Stephano ſacrum, ſplendidum, magnum, al-

tum, & amplum eſt ædificium, faſtigiata, excelſa & perlucida turri ab una parte ornatum, cui inter alia, ingens & magnifica campana ineſt; ſimilis quoque turris ab altera parte incepta, & ad haud contemnendum progreſſum jam deducta ſed non abſoluta fuit. Ajunt, modernum Epiſcopum eam perficere, & alteri conformem reddere velle; quod Ædilis quidam quatuor annorum tempore exefficere poſſe opinatur.

Epiſcopus nunc quoque veterem Aulam Epiſcopalem totam dirui, magnificumque & amplum ibi palatium exædificari curat, in quem finem centum millia Imperialium, pretium ſcilicet recõciliationis Ducis Meckelburgici, ab Imperatore impetravit.

Hoc vero templum rogante Cæſare Friderico III, in Baſilicam ſeu templum Epiſcopale à ſummo Pontifice Paulo II, elatum fuit; cujus

Episcopi reditus annui octo saltem millia florenorum efficiunt. Ejus qui tunc temporis sæpe dicto Episcopali munere fungitur, nomen est Antonius, primus quidem, qui Principis titulum & prædicatum simul à Sacra Cæsarea Majestate Ferdinando II adeptus est; Insuper ditissimam quoque Abbatiam Cremiphanensem Ordinis Benedictinorum in Austria superiore possidet; Cæsareæque Majestatis intimus Consiliarius & in eodem Consilio quasi Secundus est ab Imperatore. Cujus Antecessor, erat Cardinalis Cleselius, Anno M. DC. XXX. Viennæ defunctus.

Canonici hujus Basilicæ sunt sedecim, quorum stipendia propter redituum dictæ Basilicæ tenuitatem, exigua quoque sunt. Omnes circum sæpe memoratã Basilicam, seu summum Templum, domicilia sua habent.

Sunt & alia quoque plura Tem-

pla & Cœnobia, intra & extra hanc Urbem.

Academiam Viennensem fundavit Imperator Fridericus II, Anno Domini M.CC.XXXVII. eamque maximis privilegiis & immunitatibus, quæ postea ab Alberto III Austriaco renovatæ & ampliatæ fuerunt, ornavit & communivit.

Cæsarea Majestas Ferdinandus II hanc Academiam anno circiter M.DC.XXII, cum adjacentibus & pertinentibus Byrsis & Collegiis seu Conventibus, Patribus Jesuitis, ut eorum esset Academia, dono dedit, ubi nunc partim docent, partim Scholasticos & Alumnos alunt. Dicta quoque Cæsarea Majestas iis insuper Professionem Theologicam & Philosophicam concessit, eatenus tamen ut Cathedra tam ad profitendum, quam disputandum alicui è Dominicanorũ, ut & Franciscanorũ quoq; alias Minimorum dictorum, Ordine, aperta maneat.

Juris

Juris Consulti & Medici in sua conjunctione perseverant, singulisque semestribus alium Rectorem creant; Consilium, ubi quidquid sibi & aliis Academiæ cohærentibus personis necessarium & consultum putant, deliberatur, è sedecim iisdem facultatibus addictis Viris constat. Rector Academicus Jurisdictionem suam, amplissimam & admodum longe se extendentem, in Academicos & membra Academica exercet.

Civile, seu Civium regimen sic se habet: Senatum, octodecim cives & Senatores constituunt, quibus res & negotia omnia & singula Reipublicæ & commune Civium & Civitatis bonum concernentia proponuntur, & ab iis deliberantur: Horum vero caput est consul. In Criminalibus Judex Urbanus Assessores & Cõsiliarios suos habet.

Administratio vero Civilis haud libere penes dictum Senatum consistit,

ſiſtit, ſed à Locum tenente in Auſtria Inferiore dependet; omnibuſque ſupramemoratisSenatoriis collegiis & conſultationibus Mandatarius quidam Cæſareus propria perſona intereſt.

Dicto Locumtenentis officio nunc fungitur SyfridusChriſtophorus Preuner, Baro, &c. Sacræ Cæſareæ Majeſtati à ſecretioribus Conſiliis, & ejuſdem Gubernationis Auſtriæ Inferioris Præſes, penes quem Inſpectio ſuperior in Urbano & Civili Regimine ſita eſt, quique, Cæſarea Majeſtate abſente, abſolute & perfecte gubernat.

Armamentarium Viennenſe non modo ejus loci uſitatis navibus, ſed & armis & omni apparatu bellico, tormentiſque tam magnis, quam parvis, quæ ibi reſervantur, inſtructiſſimum eſt. Ejus Præſes nunc eſt Comes Xantelier, natione Lotharingius: quoniam vero Parens ejus ſe mature ad Aulam Cæſaream contulit,

tulit, & huic officio diu bene præfuit, Germanis adnumeratur.

Aula Cæsarea seu Arx Archiducalis, vulgo die Burg/ nuncupata, nullius est splendoris seu singularis magnificẽtiæ, ac satis angusta quoque pro tanto Magnate, & tam sublimi Aula. Magnam aream in se comprehendit, cui ab una parte Cancellaria Imperialis; ab altera Arx interior, seu proprium Cæsareæ Majestatis Domicilium; à tertia Vallum Urbis cum ei super extructo porticu; & tandem à quarta parte seu latere Arx nova, vulgo die Newe Burg / adjacent, eamque circundant.

In hac Aula Cæsarea Vestiarium, seu locus quidam vulgo Guardarobba dictus continetur: Item Peristylium, seu Galeria ut vulgo nuncupari solet, cum variis & distinctis Conclavibus, quem Thesaurum vocant, in quibus omnis generis variarum, pretiosissimarumque ex

auro,

auro, gemmis, & unionibus, ut & ſumma induſtria elaboratarum rerum & picturarum, optimorum quoque ſpeciminum tam naturalis, quam humani laboris, & aliarum plurimarum raritatum & curioſitatum, aliquot millionum pretio, magna reſervatur copia. Inter alia vero viſu maxime digna ſunt, Corona Cæſarea cum Sceptro & Pomo Imperiali, ditiſſima, ex auro & pretioſiſſimis Orientalibus Adamantibus ornata, unius millionis aureorum æſtimata, ab Imperatore Rudolpho II. pro ſacra ſua perſona confecta. Item pelvis rotunda, ſeptem ſpithamas in circuitu cõplectens, ex unico Agatho lapide ſculpta, cum aliquanto obſcuriore & ab ipſa Natura formata inſcriptione: JEHOVAH. Porro, Unicornu duodecim vel tredecim ſpithamas longum. Quorum duorum poſteriorum, quoniam ſui ſimilia in tali forma, pulchritudine, qualitate &
quan-

quantitate, toto orbe non habent, valor inæstimabilis est. Huic eidem Palatio, quod Sacra Cæsarea Majestas ipsamet inhabitat, duo distincti & amœni horti adjacent, alter altero major, in quos Cæsareæ Majestati ex ipsius domicilio facilis ac commodus patet aditus.

In supra memorata vasta Arcis area, die Burgplatz dicta, prope Palatium Cæsareum, pedites unius cohortis; apud introitum vero in interiorem Arcem, sub ipsa porta proxime ad pontem versatilem, decem stipatores Bipennigeri, vulgo Trabanten/ ordinariam custodiam habent: quorum hi posteriores totam diem convenienti ordine Bipennibus suis ibi commorantur, noctu vero, ponte sublato, intrinsecus vigilant, donec alii ex eorum consortio iis surrogentur. Ante Cæsareæ Majestatis & Imperatricis conclavia, alii Stipatores Hastiferi, vulgo Härtschierer/ excubias continuo

tinuò agunt, qui milites sunt, & Cæsareæ Majestati tã in itinere, quam cum deambulationis causa egreditur, veluti ordinaria equestris corporis custodia, ubivis vestigio insequuntur, & demississime præsto sunt.

III.

Quis Romanorum Imperator Ferdinandus Secundus *sit, deque Cæsarea Sua Majestatis virtutibus, & qualitatibus, devotione & pietate, variis humiliationis & devotionis actibus, negotiis, recreationibus, & accubitu mensæ.*

Atque hactenus de Imperiali Sacræ Cæsareæ Majestatis Ferdinandi II. Aula; nunc ulterius dicendum, Cæsareæ Suæ Majestatis parentem fuisse Archiducem Carolum Austriacum, Imperatoris Ferdinandi I. Nepotem, qui Grätziæ in Stiria residebat, cujusque patri-

patrimonium Ditiones Austriacæ interiores erant, Ducatus scilicet Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, cum aliis depẽdentibus provinciis. Cum vero duæ istæ Austriacæ Prosapiæ lineæ Genealogicæ, Viennensis scilicet (Imperatoris Maximiliani II) & Tyrolensis (Ferdinandi Archiducis) emortuæ essent; Archidux quoque Albertus Austriacus in Belgio, earum Provinciarum Austriacarum regimini, senio & infirmitate confectus, eo lubentius resignasset: sæpe dicta Sacra Cæsarea Majestas partim per successionem, partim per transactionem & consensum, (præcipue vero quoniam, eo quod in Hungariæ & Bohemiæ Regem jam designata & coronata esset, validum rei istius obtinendæ fundamentum & basin posuerat) provincias illas omnes adepta & consequuta est. His subsequuta est Anno 1619. die 28. Augusti, Imperatore Matthia I. eodem anno fatis

concesso, dictæ suæ Cæsareæ Majestatis ad fastigium dignitatis Imperialis in Sacri Romani Imperii Civitate Francofurto ad Mœnum electio & coronatio. Sceptra tenentibus tunc in variis Europæ regnis, sequentibus præcipuis Christianis Regibus & Magnatibus: Philippo III. Hispaniarum Rege; Ludovico XIII, Galliarum Rege; Jacobo IV, Britanniarum Rege; Christiano IV, Daniæ, &c. Rege; Sigismundo III, Poloniæ Rege; Gustavo Adolpho Suecorum Rege; & in Oriente Turcarum Imperatore Osmanno.

Cæsareæ Suæ Majestatis sacram quod attinet proprie personam, ea nunc ætatis annum agit quinquagesimum nonum. Statura ejus mediocris est & corpulenta, complexio optima, robusta & sana, capilli & barba jam satis cani, præsentia grata, natura humana, benefica, mitis, admodum liberalis, ac singu-

lari intellectu, eloquentia, & memoria prædita, vita tam in cibis quam in potu temperans, somnus moderatus: hora 10. vespertina ut maxime cubitum discedit, nonnunquam etiam hora prima nocte intempesta, ac hora quarta matutina ordinarie surgit, precesque suas genibus flexis recitat. Diebus festivis & solemnibus, ac præcipue anniversariis Apostolorum, confiteri ac Missæ participare: Proxima vero die Jovis ante festum Paschatis, cum Imperatrice, Rege ac Regina, Archiduce & Archiducissa, cæterisque præcipuis Aulaicis, Sacrum Sacramentum, secundum normam & præcepta Ecclesiæ Romanæ, è manu Nuncii Papalis accipere solet. Antequam Cæsarea Sua Majestas in templum eat, duas prius missas, alteram pro semet ipsa, alteram pro defuncta conjuge, Ducis Bavariæ legitima sorore, celebrandas in sacello Aulaico, seu in Oratorio Cæ-

ſareo, curat, nonnunquam etiam eodem tempore Sacramento utitur; tunc in templum ſe confert, ubi Concionem Germanicam, quæ communiter à Patre quodam Jeſuita, Ordinario nempe Aulæ Diacono, habetur, per integram circiter horam; & concione finita magnum quoque Miſſæ officium, quod cum ſuaviſſima muſica celebratur, ac equidem unius horæ tempus ad minimum durat, magna devotione auſcultat. A meridie concioni Italicæ, quam Ordinarius Concionator Aulico-Italus ſimiliter habere ſolet, eodē modo intereſt, cui ſubſequitur magna ſolemnitate Veſpertini officii celebratio; atque hoc modo Cæſarea ſua Majeſtas totam fere diem Dominicam ſeu ferialem devote conſummat; aliquando alia quoque templa intra & extra urbem, interdum ſcilicet Dominicanorum, interdum Capucinorum, Jeſuitarum, Carmelitarum, &c. viſitare,

sitare, ac in horum cœnobiis & Collegiis nonnunquam prandere solet.

Tempore Adventus, Cæsarea Majestas admodum mane surgit ad frequentandum matutinum quoddam, instar cantatæ Missæ officium, RORATE dictum, cujus ab introitu, *Rorate cœli desuper*, &c. cantatur, cum subsequente per integram fere horam ad finem usque Musicâ vocali & instrumentali; quo tempore populus preces & devotionē suam peragit: Idque officium in magna congregatione, ac in omnibus templis solemniter celebrari consuevit.

Tempore quadragesimali, Cæsarea Majestas concionibus, tam in sacello Aulaico, quam in Augustinorum templo prope Arcem sito, ut & festis in fano Sanctæ Crucis Ordinis S^t. Francisci de Minimis, tum maxime, cum Processiones pœnitentiales celebrantur, quam diligentissime interest. Insuper singulis diebus per totum Quadragesimæ

tempus, Vespertinum officium in Oratorio Cæsareo integre celebrandum curat.

Proxima die Jovis præcedente festum Paschatis, ante meridiem CæsareaSua Majestas tredecim pauperum Virorum pedes publice, ac coram omnibus ibi præsentibus, lavat, tum eosdem cibat, iisque propria persona apud mensam ministrat; Porro singulos veste ac nummo quoque aureo, dupli circiter Hungarici Ducati valoris, donat.

Augusta Romanorum Imperatrix eodem die & tempore in alio separato quodam loco, eundem humiliationis actum, erga tredecim pauperes mulieres, præstat.

Ultima die Sabbathi ante festum Paschatis Cæsarea Majestas omnia Urbis fana, more Catholico, pedes circuire, ac coram erectis in illis sepulchris orare solet. Hoc vero anno curriculum hunc pedibus absolvere nequivit.

In hebdomade S. Crucis incipiendo à die Dominica ad festum usque Assensionis Christi, Cæsarea Sua Majestas Processionibus, quæ tunc habentur, interesse consuevit; quibus omnibus neque hoc quoq; anno, præsto esse, debiles corporis vires permiserunt.

In festo Corporis Christi, cum nimirum magnus celebratur circuitus, Cæsarea Majestas cum omnibus Aulaicis propria persona, pedibus ac nudo capite Processioni interesse, & apud singula hinc & illinc erecta altaria genibus flexis orare solet. Sequenti die Dominica IesuiticamProcessionem etiam coram frequentat; ac posteriori die Iovis Octavam, quæ populosa, & à matutino tempore ad meridiem tenus continuanda est Processio, magna quoque cum devotione celebrare & absolvere juvat.

Quamobrem Nuncius PontificiusCardinalis Pallotta in sua adPa-

pam Urbanum VIII. facta relatione, Cæsareæ Majestatis cum maximis encomiis meminit, nuncupando Imperatorem Ferdinandum Secundum Principem Sanctum, Virum secundum cor & voluntatem Dei, sicuti Rex David fuit, propter candorem suæ conscientiæ, & certissimam in Deo repositam fiduciam, continuæ protectionis Divinæ, & quod nemo mortalium ipsi, veluti Uncto Domini, nocere, neque Sacra sua Cæsarea persona ab ullo malo opprimi queat. Sicuti Cæsaream suam magnanimitatem statim ab initio sui Imperii, & aliquot subsequentibus annis, vel eo luculentissime testata est, quod, licet omnia fere ejus regna & provinciæ hæreditariæ, post ejectionem trium regiorum Officialium & Consiliariorum in Regno Bohemiæ, Pragæ An. 1618. die xxv Maii (Imperatore Matthia I. in vivis adhuc existente) per fenestras factam,

ense

ense & igne devastarentur, ac sacra sua persona inter medios quasi hostes sita, nihil quicquam præter unicam Urbem Viennam, residui haberet: nemo tamen eam ab ejus sede seu Residentia unquam pellere & fugare potuerit, verum è contrario mirabiliter à Deo semper conservata fuerit.

Dictus Nuncius Papalis ulterius quoque inquit, Cæsaream Majestatem, in maximis quidem sæpe discriminibus, ejusmodi verba elocutam fuisse, ut Divina providentia vim & potentiam suam, utpote quę omnis hominis captum & intellectum longe superet, in Sacra ejus persona abunde demonstrarit.

In casibus Religionis & conscientiæ, cum Cæsarea Majestas Consiliarios & Commissarios suos ad eum finem ablegat, haud se cum ratificatione præcipitat, verum omnia prius ad Confessorem suum, qui acutissimus & prudentissimus

Pater eſt, remittit, cujus conſilium & judicium Cæſarea Sua Majeſtas, veluti Ovis Paſtorem, ſpontaneo & prompto animo ac corde ſequitur. Huic etiam, ut omni careat ſcrupulo conſcientiæ, omnia ac ſingula, vel minutiſſima quæque refert.

Cæteris diebus, excepta die Dominica, duabus Miſſis auditis, & finitis cõſultationibus ſecretioribus, (ſingulis enim, vel ad minimum alternis diebus, Conſilium habetur,) CæſareaMajeſtas, modo nihil aliud momentoſi expediendum occurrat, ſive ad ſpatiandum, ſive ad venandum (quod quidem recreationis exercitium ipſi maxime eſt voluptati) Urbe egredi, nec ante veſperam redire, ut plurimum ſolet. Unde proverbium, Cæſaream Majeſtatem tribus in rebus indefatigabilem eſſe, nempe in devotione & Religione, in conſilio, atque in venatione. Licet etiam quandoque ſatis ſero & defeſſa à venatione reverta-

vertatur, haud tamen expeditas Imperii, aliasque res, quadraginta, quinquaginta, imo sexaginta & amplius numero, unica vice propria manu subscribere gravatur, idque absq; minima impatientiæ vel offensionis nota; tum deniq; mensæ accumbit; Adeo ut Cæsarea sua Majestas nunquam vel è Consilio, vel à venatione, vel ab Audientia (ut vocant) redeat, ubi non aliquid vel perscribat, vel subsignet, vel memorialia quædam legat, vel alio modo occupata sit: quanquam etiam Cæsarea sua Majestas ob nimiam Imperii, aliorumque magni ponderis negotiorum copiam, minimam eorum partẽ ipsamet perlegere possit; cum aliquid tamen sive ipsimet sibi, sive supremo Cubiculario offertur, id per Cubiculi ministrum seu Portitorem quendam convenientibus consiliis immittere & prout res postulat, ut mature expediatur, mandare ipsi mos est.

Cæsa-

Cæsarea sua Majestas Venaturam (uti jam monitum fuit) atque Musicam summopere diligit; omnisque generis canes & miras aves venationis & aucupii gratia alit. Venatorum & Aucupum centum & quinquaginta fere sunt; Insuper hos tamen Cæsarea Majestas in singulis ejus regnis & provinciis hæreditariis, magnum adhuc Venatorem, cum pluribus aliis, & innumeris canibus, habet.

Bombarda optime uti novit: præcipue vero Investigando, (vulgo ac Germanico Idiomate Hätzen/) & propria manu apros interficiendo delectatur, de quibus postea exteris Oratoribus & Prolegatis, ut & Aulæ quoque Ministris, honoraria departitur. Quot per integrum annum feras capit, certo cuidam Catalogo inserere, earumq; specificationem Electori Saxoniæ mittere solet.

Cæsarea quoque sua Majestas, magnam diligentiam ad comparandos

randos sibi Musicos exquisitos, adhibet, ac in hos utriusque sortis homines, Musicos scilicet & Venatores, multum ordinarie impendit pecuniæ, iisque plurimum donat. Musicam, ad laudem & honorem Omnipotentis, & ad conseruandum animũ hominis hilarem, utilem & idoneam esse, inquit.

Sacra Cæsarea Majestas in Ante-Camera prandet, ut plurimum vero apud Augustam Conjugem cœnat. Ante duos annos Cæsarea Sua Majestas, cum Imperatrice, Rege, Archiduce & Archiducissis, in Equitum & Nobilium conclavi, solemnioribus & maximis festis, nativitatis scilicet Christi, Paschatis & Pentecostes, coram magna multitudine, publice mensæ accumbere adhuc solebat, ubi frequenter selectissima Musica Instrumentalis audiebatur.

Mensæ Cæsareæ præcipue ministrant, Ordinarii Cubicularii, Dapiferi,

piferi, Pincernæ, & alii ejusmodi officiales, nonnunquam etiam Principes, Comites & Barones ex Imperio & aliunde, omnes nudo capite, exceptis iis, qui re ipsa Principes sunt Imperii, præcipue in ipsius Aula, quos non ordinarie mensæ simul accumbere jubet; Extra vero Aulam Imperialẽ, & peregre id quandoque fieri solet, interdum etiam in Urbe Residentiali, prout conditio & præeminentia Principum requirit, vel eidem aliàs chari & grati sunt.

Hic notandum, quod Celsissimus Princeps Anhaltinus, Christianus Senior, cum Sacra Cæsarea Majestate reconciliatus, eidem Cæsareæ Majestati mantile post lotionem manuum coram mensa exhibuerit, ac deinceps nudo capite ministrarit: Cum vero à Cæsarea Majestate, suis Regalibus & feudis investitus fuisset, ac similiter ut antea Imperiali mensæ nudo capite adstaret; Cæsa-

Cæſarea Majeſtas hoc animadvertens, id admittere noluit, ac non modo per ſupremum ſuum Aulæ Mareſcallum, qui tunc erat Comes de Loſenſtein ſtatim à dicto Principe, ut pileum capiti imponeret, flagitavit, (quod equidem fecit,) verum eundem etiam ſimul menſæ accumbere juſſit; quod in Arce Viennenſi factum eſt.

Cum Cæſarea Majeſtas apud Imperatricem menſæ accumbit, tunc loco Equitum ac Nobilium, Gynæceum, ſeu Auguſtæ miniſtrantes Virgines, menſæ inſerviunt, ubi ſuaviſſima celebratur Muſica. Alias in prandio, nulla habetur Muſica, niſi feſtis & anniverſariis. Dapes ſeu epulæ, quæ menſæ Cæſareæ imponuntur, neque nimis lautæ & opiparæ ſunt, neque aliquid ſuperflui ſplendoris ac magnificentiæ, pro tanto ſublimi Magnate, habent. Moriones tunc etiam joca ſeria, facetiaſque, inter hos vero potiſſi-

mum

mum Ionas Morionum Alpha pro re nata, producunt & effundunt prout tempus & occasio exigit; nunquam vero majores ac liberiores, quam cum Cæsarea Majestas peregre, seu venando occupata est.

IV.

Qua ratione Cæsarea Majestas, eundo in templum vel sacellum inserviatur; ac quomodo Legati & Oratores se tunc gerant: tum etiam quomodo dicta Cæsarea Majestas redeundo è templo vel sacello in ædes suas, concomitetur, quidque tunc propriè fieri soleat.

CÆsaream Majestatem in Templum euntem, Rex Hungariæ, cum præsens est, in peculiari pilento, proxime præcedit, dein sequitur Cæsarea Majestas, sive sola, sive cum Imperatrice; Cum Hungariæ Regina adest, tunc Augusta, una cum illa & Archiducissa vel maxime.

me uno vehuntur pilento, Cæsaream que Majestatem proxime sequuntur; has vero Gynæceum diversis itidem carpentis. Archidux Regem anteit; hos autem omnes pedibus Aulaici, Equites, ac Ministri Cæsarei variæ sortis & conditionis. Ab utroque latere stipatores Bipennigeri & hastiferi, vulgo Hårtschierer/ & Trabanten dicti, nudo capite singuli incedunt; quæ quidem res visu egregia, & valde populosus est comitatus.

Gynæceum sequitur peditum armatorum cohors, qui Cæsaream Majestatem ab ejus egressu ex Aula, ad reditum usque, seu ingressum in aliud quoddam Monasterium vel Collegium, ubi mensæ accumbat, concomitantur, eidemque publice ministrant.

Nuncius Papalis, cæterique Oratores præsentes in ista occasione Cæsareæ Majestati se nullo modo sistunt; peracto vero cultu Divino,

ſive finitis interdum aliis actibus publicis, Cæſareæ Majeſtati, uſque dum pilento ſuo inſideat, præſto ſunt, tunc vero ſtatim abſque ulla ulteriore mora pedem referunt & revertuntur.

Portæ civitatis, quamdiu Cæſarea Majeſtas extra ejus Aulam in Urbe commoratur, omnes obſeratæ manent.

Supremus ſtabuli Magiſter à ſiniſtro Pilenti Cæſarei latere, obtecto capite in Urbe incedere; peregre vero in pilento ex adverſo Cæſareæ Majeſtatis ſedere ſolet.

Cum Cæſarea Majeſtas è conclavi ſuo in Templum ſeu ſacellum diſcedit, ac deinceps in illud per Equitum conclave &antecameram redit, Pueri nobiles præcedunt, hos ſequuntur nobilitati, nobiles, Equeſtres, cubicularii, Conſiliarii, Barones, Comites, Principes, & alii variæ conditionis Miniſtri. Principes, (ſi qui præſentes ſunt) ſequun-

tur

tur Oratores, Nuncius Pontificius, Archidux, Rex, tum Cæſarea Majeſtas; dein Auguſta Imperatrix, Regina, Archiduciſſa, quælibet cum ſuo Aulæ Magiſtro, ac tandem nobile Gynæceum. Stipatores vero utriuſque ordinis, quamdiu hic Comitatus durat, & donec Cæſarea Majeſtas menſæ accumbat, intra & extra Equitum conclave, ad Ante-Cameram tenus, ſtantes ab utraque parte miniſtrant. Diebus Dominicis & feſtivis, Tubicines in area quoque Arcis, vulgo der Burgplatz/ publice canere ſolent.

V.

De Ante-Camera Cæſarea, deque Equitum & Nobilium Conclavi &c. quid ibi fieri ſoleat.

BArones & Equites, Conſiliarii, præcipuique Miniſtri, Prolegati, & alii, qui vel Audientiam à Cæſa-

rea Majestate habuerunt, vel quibus alias accessus ibi patet, donec tempus redeundi domum adsit, in Ante-Camera & Equitum conclavi expectare solent. In eo loco, ubi Cæsarea Majestas Audientiam præbet, nemini pileum imponere licet, nisi absoluto Principi, seu Principi Imperii, Cardinali, Nuncio Apostolico, & Oratoribus Regiis.

Hic quoque observandum, quod, cum Cæsarea Majestas Equitum conclave transitura est, ac illi appropinquat; portitorum aliquis januam clave bis pulsat; quæ res Cæsareæ Majestatis adventus indicium est.

Cæsareæ Majestati per Equitum conclave transeunti, variæ supplicationes & libelli Memoriales quam demississime frequenter offerũtur; Eaque de necessitate & importantia rei simul monetur ac rogatur; quæ omnia Cæsarea sua Majestas clementissime accipit, & uniuscujusque

jusque petitionem, licet aliquanto prolixiorem, magna patientia & æquanimitate, absque ulla ægritudine seu gravatione, auscultat.

Cum Cæsarea Sua Majestas advenam quendam Equitem singularis cujusdam qualitatis, seu qui nuper ad Aulam Cæsaream reversus est, quemque antea novit, videt, manum ipsi osculandam exhibet. Propositiones sibi factas libenter audit, iisque clementissime respondet, ac nonnunquam gratas, suavesque quæstiones ipsamet movet, & in medium adducit. Oblata scripta & memorialia in proprias manus recipit, atque secum in Conclave suum defert, nec ulli alii cuipiam prius tradit. Germanica, vel Italica semper, quandoque etiam Latina, quam quidem admodum expedite & accurate loquitur, utitur linguis, nunquam vero Gallica, vel Hispanica, ne cum ipso quidem Hispanico Legato.

VI.

Pauca quædam de Cæsareæ Majestatis ex ejus Regnis ac provinciis hæreditariis, annuis reditibus.

DE annuis Cæsareæ Majestatis reditibus ex ejus Regnis & provinciis hæreditariis, difficile est, aliquid certi statuere; quoniam Ditiones istæ, tam ratione Contributionũ ordinariarum, & extraordinariarum, quam & aliis de causis, haud in prisco, verum in admodum mutabili statu versantur.

Cæsarea Sua Majestas ex Hungaricis auri argentique fodinis, magnos quidem habet reditus, verum non modo eos omnes, sed & plures quoque in conservandis locis cum Turca finitimis, expendit.

Austriam Superiorem Dux Bavariæ, ratione duodecim millionum florenorum, Anno M DC XXII Ratisbonæ computatorum, diu possessit, & nunc quoque instar Hypothecæ,

thecæ, Domui Bavaricæ in eventum oppignorata manet; Hæc vero interea in nonnullis locis, variis Rusticorum seditionibus, admodum depopulata fuit.

Marchionatus Lusatiæ Inferioris & Superioris, nunc, & hoc quidem anno 1636. Electori Saxoniæ propter quosdam milliones in proprietatem hæreditariam concessus est.

Bohemiæ & Moraviæ reditus, præter contributiones ordinarias & extraordinarias, aliaque imposita, aliquot abhinc annis tres circiter milliones annuatim efficiebant.

Silesiæ reditus jam per aliquot annos incerti sunt; solius vero Cerevisiæ annuum vectigal, ducenta millia florenorum longe superat.

Austriæ autem Inferioris, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. reditus, omnium certissimi, tutissimi & ordinarii sunt; hi vero, ut fama est, ad duos circiter florenorum milliones se extendunt.

Fideles etiam Ditionum Cæsarearum subditi, conspicua aliquot centenorum millium florenorum donativa, Cæsareæ Majestati ad ipsius Aulam annue mittere solent. Conventus item Provinciales multum quoq; pecuniæ ei suppeditant. Porro in sola Bohemia, Moravia, Austria Superiore, & parum in Inferiore, ob multifarias rebelliones, circiter quadraginta tribus florenorum millionibus bona, fisco Imperiali, ab Anno MDCXVIII addicta fuere.

VII.

Particularia de Romanorum Imperatrice, Rege Ferdinando tertio ac Regina Maria, Archiduce Leopoldo VVilhelmo, Imperatorisque filiabus.

ROmanorum Imperatrix Eleonora, filia est Vincentii Senioris, Mantuæ Ducis, & soror ultimi

defuncti Ducis Mantuani, Vincentii quoq; nuncupati. Ætatis annum agit trigesimum septimum; statura ejus perfecta, vultus placidus, prudens, & secundum voluntatem Domini Conjugis proba, liberalis, misericors & mitis. Trecenta circiter millia Scudorum, ab ejus Ducali Domo in Dotem accepit; cui Cæsarea Majestas reciproce ultra Dotis æquivalorem, nonnullas adhuc Ditiones in Austria Inferiore dedit. Hungari, cum Posonii coronata fuit, centum quoque millia Imperialium; Item in secundo Conventu Provinciali Hungarico octodecim Imperialium millia, & alia iterum vice triginta millia ipsi obtulerunt. Porro Cæsarea Majestas ei liquandiu singulis mensibus, duo orenorum millia, ut & villam uoque vulgo Favoriten hoff vocitatam dono dedit.

Habitus ejus est fere Hispanicus. dmodum pia est & religiosa, ac

Ecclesiasticas personas, inprimis verò Capucinos & Carmelitas, magno prosequitur honore & amore.

Cæsareæ Majestatis liberi nunc temporis in vivis existentes, sunt quatuor; Ferdinandus III. Hungariæ & Bohemiæ Rex &c. Leopoldus VVilhelmus Archidux Austriæ &c. Maria Anna, Ducis Bavariæ Maximiliani conjux &c. & Cæcilia Renata, quæ adhuc cœlebs est, omnes ex primo Cæsareæ Suæ Majestatis matrimonio procreati.

Rex Ferdinandus tertius, annum nunc complevit vigesimum nonum; satis formosus est; moribus & vultu heroïcis, staturæ longioris quam Dominus Parens; capillis & barba nigris, faciem Regiam decorantibus, ac virili forma induentibus; animus sapiens, prudens, serius, reputationis suæ observans, taciturnus, ac in multis Duci Bavariæ conformis; Debita quidem rite solvit, proverbium tamen, Ne quid nimis,

nimis, ſeu ut elegantius vernaculo effertur idiomate, Genaw gerechnet vnd wol bezahlt / ſimul bene practicare novit; quod tamen debitum & decorum poſtulat, in ſe deſiderari non patitur. Ejus ſtudia (in quibus optime profecit) ea fuere, quæ Regi tam pace quam bello ſcitu neceſſaria ſunt, maxime vero Matheſis, ars fortificatoria & militaris: varias callet linguas, Germanicam, Italicam, Latinam, Bohemicam & Hiſpanicam. Pius & Religioſus eſt. Peculiarem & proprium ſuum habet Aulæ ſtatum.

Regia Conjux, eſt Infanta Maria, Regis Hiſpaniarum Philippi IV ſoror; cujus Dos, eadem ac Galliarum Reginæ, quingenta fuere Scudorum millia, ſingulis ſcudis tredecim Realium pretio computatis. Rex quoque Frater, eam ad Interiores uſque Ditiones Auſtriacas, ſuis impenſis deduci & comitari curavit.

Archi-

Archidux Leopoldus VVilhelmus, Episcopus Argentinensis, Passaviensis & Halberstadiensis, annos viginti tres natus, robustæ est complexionis, & procerus, venationis amans; Veste Sacerdotali indutus. Eum vero ajunt in Ecclesiastico statu permanere nolle, verum uxorem ducturum.

Archiducissa Maria Anna, quæ nunc Duci Bavariæ, Avunculo suo nupsit, annos nata est viginti octo, probe educata, pia & virtuosa, prudens & industria, oculis & capillis nigris, perplacidoque vultu, utriusque linguæ Germanicæ & Italicæ potens. Hæc Ladislao præsenti Poloniæ Regi nubere debuerat, Matrimonium vero hoc ab Ordinibus Regni Polonici, consiliariisq; Regiis, impeditum fuisse, dicunt. Idem postea de Cardinale Infante arbitratum fuit. Filius quoque unicus Neoburgici Principis Palatini, ut & Dux Albertus Bavariæ; defun-

ctus

ctus item Transsylvaniæ Princeps Gabriel Bethlehemus ad exemplum Sigismundi Bathorei, eam sibi uxorem adjungere desiderarunt; in quem finem Transsylvanus legatos suos Neostadium ad Sacram Cæsaream Majestatẽ miserat. Tandem vero Maximilianus Bavariæ Dux eam domum deduxit.

Altera Principissa Imperialis junior, Archiducissa scilicet Cæcilia Renata, annorum est viginti quinque; facie magis quam Sororis alba, ac similiter proba, virtuosa, optimeque educata. Vernacula sive Germanica tantummodo loquitur lingua; licet Italicam intelligat, ea tamen non utitur. Opinio est, & conjectura, eam Cardinali Infanti nupturam. Hæ ambæ Principissæ Cæsareæ, optime proportionatæ sunt staturæ, ac complexionis satis robustæ.

VIII. Par-

VIII.

Particularia de quatuor ſummis Aulæ Cæſareæ officiis, nempe, Supremo Aulæ Magiſtro, Supremo Aulæ Mareſcallo, ſupremo Cubiculario, ac Supremo ſtabuli Præfecto &c. deque Cubiculariis, eorumque Adjunctis, Pueris nobilibus, ſtipatoribus tam equeſtribus, quam pedeſtribus, Aulæ Diaconis, ac Patre Confeſſore Cæſareo.

SVmmum ac primum Aulæ Imperialis officium, eſt penes ſupremum Aulæ Magiſtrum, Virum gravem, egregium & jam ſenem, quique ſub Imperatore Matthia, ſupremus erat cubicularius.

Supremus Aulæ Mareſcallus, magno quoque & proficuo officio, autoritate & reputatione fungitur, cujus jurisdictio non modo in omnes Aulaicos & Miniſtros, alioſque ad Aulam Cæſaream ſpectantes, ſe extēn-

extendit, ſed in exteros etiam Agentes, Prolegatos, Legatos, Deputatos, ſollicitantes, & ejuſmodi viros in Aula Cæſarea negotia & res agentes. Item in Aulaicos negotiatores, opificiarios, Iudæos, horumque Conſortes. Hujus quoque officii eſt, metata cuique, pro diſcretione aſſignare, ubi ſcilicet Sacra Cæſarea Majeſtas Aulam ſuam aliunde transfert & removet, præterquam in Comitiis & conventibus Electoralibus Imperii, tunc enim hæreditarius Imperii Mareſcallus, juriſdictionem ſuam exercet. Sæpedictus quoque Aulæ Mareſcallus peculiarem quendam metatorem, vulgo **Quartiermeiſter** nuncupatum, habet, cui & alii miniſtri, ſeu inferiores metatores, vulgo **Furrierer** dicti ſubſunt; quibus omnibus metatorum cura injuncta eſt. Cæſarea Majeſtate abſente, vicem quoque ejus gerit Supremus Aulæ Mareſcallus.

Supremi

Supremi Cubicularii juriſdictioni ſubſunt cæteri Cubicularii, omneſque alii cubiculo inſervientes. Hic Oratores Regios, Legatos, & alios Principes, Dominos & Equites &c. Sacræ Cæſareæ Majeſtati, ad Audientiam, ut vulgo vocant, adducit. Literas fiduciarias, ſeu creditiva ab Agentibus & ſollicitantibus, tam exterorum Magnatum, quam Imperii Principum, aliorumve qui ad Aulam Cæſaream ablegantur, accipit, ac Cæſareæ ſuæ Majeſtati tradit, tum præfixum iis Audientiæ tempus, per cubiculi Portitorem quendam, indicandum curat. Noctes ipſemet ante Cubiculũ Cæſareum vigiliis ſæpe peragit; deauratamq; clavem cubiculariam, ut & reliqui Cubicularii, holoſericæ tæniæ nigræ appenſam, ſecum portat, quod indicium eſt, Eos Cæſareæ Majeſtatis eſſe Cubicularios. Sicuti quoque Cubicularii à ſupremo Cubiculi Magiſtro, dictam deaura-

auratam clavem in propria persona accipiunt, ita etiam discedentes eam illi coram reddere tenentur, reversi vero ad Aulam Cæsaream denuo repetunt, & ut antea secum deferunt. Stipendium menstruum est quadraginta florenorum, una cum victu in Aula, similiter ac reliqui duodecim Cubicularii, qui tales de facto sunt.

Sunt & alii quoque plurimi Cubicularii, qui vero neque victum, neque stipendium ullum, nihilq; aliud præter dictam deauratam clavem ac titulum & honorem inde consequuntur.

Prædictorum duodecim Cubiculariorum de facto, duo per totam hebdomadam ante Conclave Cæsareum noctu vigilare tenentur. Cum Cæsarea Majestas in Ante-Camera mensæ accumbit, dapes appositas prælibant.

Si quis Cubiculariorum numero adscribendus sit, is juramentum

debitæ Cæſareæ Majeſtati fidelitatis, coram ſæpe memorato Supremo Cubiculario, convenienti adſtipulatione, præſtare debet.

Supremo Cubiculario abſente, reliquorum Cubiculariorū natu maximus, interea eo gaudet officio.

Cæſarea Majeſtate publice menſæ accumbente, Dapiferi, qui vere nobiles, & antiquis familiis oriundi, partim etiam Barones & Comites ſunt, menſæ inſerviunt & miniſtrant; ut & etiam Pincernæ & Panetarii, quibus præpoſitus eſt Officialis quidam, vulgo Obriſter ſtäblmeiſter / qui alias cubiculariorum unus eſt; quique bacillum nigrum gerens, fercula ad Menſem Imperialem ferentes præcedit. Neque hic ullum certum ſtipendium, præter victum in Aula, habet. Cæſaream Majeſtatem in itinere ſemper concomitari juvat, atque tunc vel equus, vel locus in Eſſedo ei ab Aula aſſignatur.

Horum & similium nobilium & Atriensium fere sexaginta sunt, quibus nihil præter victum & accommodationem, ut vocant, in itineribus, datur, quique sola spe futuræ conditionis melioris in Aula commorantur, quod equidem non, vel raro admodum vanum, modo saltem fortuna non nimis lente festinet, seu nimis diu tardet & remoretur.

Porro Cæsarea Majestas quosdam Cubiculi ministros habet; quorum aures communium discursuum & rumorum sunt observatrices, quique tales relationes, ubi eas haud ingratas futuras esse sciunt, deferre solent. Hi nobilitate donati sunt, ac victu in Aula, equis quoque seu curribus in itinere, stipendioque sedecim florenorum singulis mensibus fruuntur.

Quemadmodum etiam Sacræ Cæsareæ Majestatis liberalitas Cæsarea, & innata magnanimitas erga

fideles suos ministros & Aulaicos, inexscrutabilis est; Ita quoque secundum rerum qualitatem, eos, præter ordinaria stipendia, beneficiis adeo liberaliter interdum cumulat, ut postea merito moram patienter ferre possint, donec Deus aliquid ulterius suppeditet: Illius quasi memor, quod Dives quidam, qui servos suos eo semper solamine erigebat, fore post suam mortem, ut large remunerarentur, hac Inscriptione monitus fuit;

Da tua dum tua sunt, post mortem nam tua non sunt.

Quocirca Cæsarea Sua Majestas ante biennium quoque, Patres Iesuitas ita alloquebatur: Accipite Vos Patres, non semper habebitis Ferdinandum Secundum.

Sunt & cubiculi Portitores, quibus Ante-Camera curæ esse debet, ne quisque ibi ingrediatur. horum stipendium menstruum est 12. florenorum.

Supre-

Supremus Stabuli Præfectus potestatem & Iurisdictionem habet in quicquid ad stabulum spectat. Cum Cæsarea Majestas equum ascendit, tunc ei opitulatur. Cum ex Urbe vehitur, tunc in Pilento Cæsareo operto capite sedet. Cum vero in templum it, à sinistra Pilenti parte pedibus incedit, itidem tecto capite.

Cæsareæ Majestatis expensæ, quæ stabuli causa fiunt, magnæ sunt: aliquot enim centenos equos alit, quorum multi venatura pereunt; & ultra hos in ejus provinciis hæreditariis, varia adhuc & egregia habet Equilia.

Pueri nobiles partim sunt Germani, partim Itali & Belgæ, raro aliarum nationum. In studiis & exercitiis corporis educantur, ac deinde ad Dapiferorum, Pocillatorum & ejusmodi officia, ut & ad alia quoque sublimiora, prout qualitates eorum exigunt, promoventur.

Faces pone Sacerdotem, dum Missa in templo celebratur, tenent. Habitus eorum tricolor est, luteus, niger & albus.

Stipatorum alii sunt equestres seu Hastiferi, vulgo Härtschierer; horum centum sunt, ac tempore præcedentium Imperatorum homines erãt nobilitati, partim etiam è priscis ac nobilibus familiis nati, partim in Hungaricis bellis contra Christianorum communem hostem Turcam expertissimi, probatissimique milites; hodie vero majorem partem vilis sunt conditionis. In urbe ut pedites, hastas suas ferendo; extra vero urbem ut equites ministrant. Toga quoque Aulica tricolori, ut pueri nobiles, induti sunt.

Alii pedestres seu Bipennigeri, vulgo Trabanten/ quorum numerus itidem centenarius est. hi in urbe tantummodo cum Bipennibus suis ministrant; ac ut plurimum

mecha-

mechanici & opificiarii fuere. pallia & veſtes eorum itidem tricolores ſunt.

Aulæ Diaconi, quorum ſex, omnes confirmati ſunt Sacerdotes; ſingulis diebus Miſſæ officium mane perlegunt, & alternatim per totam hebdomadam Benedictionem & Gratias coram menſa Cæſarea dicunt. Parum æſtimantur; victum in Aula & viginti florenos ſingulis menſibus ſtipendii loco, ſinguli habent. Horum vero unus, qui Parochus eſt, annue quingentos florenos accipit. Præter hæc ſtipendia omnes aliis quoque beneficiis Eccleſiaſticis, quo tanto facilius neceſſaria ſibi comparare poſſint, communiter gaudent.

Confeſſor Cæſareus eſt Pater Laimormain, Ordinis Ieſuitarum, natione Belgo-Gallus, ac jam in ſenili ætate conſtitutus.

Hic maxima in Aula Cæſarea pollet autoritate; utpote qui cor

Cæſaris in manibus & nutu ſuo habet, cujuſque conſilia & monitoria tam in rebus Eccleſiaſticis, Conſcientiam concernentibus, quam in politicis, omnia alia prævalent; cuique omnia ac ſingula remittuntur. Hunc Patrem Patronum qui habet, res ſuas in Aula Cæſarea tuto agere poteſt.

IX.

Particularia de variis conſiliis Aulico Cæſareis, nempe: Conſilio Intimo, Conſilio Imperiali Aulico, Conſilio Cameræ Aulicæ, Conſilio Aulæ Bellico ſeu militari, Conſilio Eccleſiaſtico, Conſilio Conſcientiæ, Conſilio Hungarico, Conſilio Bohemico, Conſilio Confiſcationis &c.

Conſiliarii intimi reliquos Conſiliarios dignitate antecedunt, hi enim in conſultandis rebus Statum, pacem atque bellum Regno-

rum

rum & Principatuum Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum concernentibus, petitionibuſque & poſtulatis exterorum Regum & Magnatum, occupati ſunt.

Huc quoque Cameralia pertinent, & quicquid ad alia conſilia prius delatum, ab iiſque deliberatum, concluſum & cum votis ad Imperatoriam Majeſtatem remiſſum eſt. Quæ itaque cætera conſilia prius deciderunt, ea poſtea vel mutat, vel aliter quandoque diſponit Conſilium Imperiale Intimum, unde ratificatio Cæſarea in omnibus expectanda eſt.

In rebus Imperii, cum arbitrium & ſententiam conſilii Imperialis Aulici, validis & firmis innititur rationibus, raro aliquid à Secretiore conſilio immutatur vel rejicitur.

Atque ex his patet, omnia ante expeditionem prius ad Sacram Cæſaream Majeſtatem pervenire, exceptis rebus minimis, quæ à Præ-

ſide conſilii Imperialis Aulici, ſeu Vice Cancellario Imperii, maximam partem ex officio, concedi poſſunt.

Gratialia, ſeu res quæ gratis conferuntur, omnes Cæſareæ Majeſtati quam demiſſiſſime repræſentantur, ac immediate, cujuſcunque ſint etiam nominis, ad conſilium Cæſareum Intimum ſpectant; nonnunquam tamen Cæſarea Majeſtas eas ad Conſilium Imperiale Aulicum deferre jubet, ut hujus informationem & arbitrium intelligat, antequam de iis clementiſſimam ſtatuat ſententiam.

Ante biennium Conſilii Cæſarei Secretioris Director erat Princeps ab Eggenberg, abſolutus Patronus voluntatis Cæſareæ, Cor Cæſaris, cui cum Cæſarea Majeſtate unum cor, una via, penes quem in Aula Imperiali, ſicuti in militia penes Ducē Friedlandiæ, ſumma rei erat. Continuo fere in lecto propter Podagram

dagram & Colicam, quibus valde male afficiebatur, decumbebat; Et quanquam ædes ejus nonnihil ab Aula Cæſarea diſtarent, Cæſarea tamen Majeſtas ſemper apud illum conſilium ſecretum convocari curabat, & ex Arce Archiducali ſeu Aula Cæſarea per longum porticum in ejus domum tranſibat, ibique propria perſona conſultationibus intererat; neque eum tantummodo cum conſilium habebatur, viſitabat; ſed & alias quoque quotidie, ac ſæpe pluries de die; quin etiam Cæſarea ſua Majeſtas, cum Auguſta Imperatrice, in ædibus dicti Principis, cum eodem ludebant, aliaque ſimilia joca peragebant, idque ſæpiſſime. Hic Princeps mirabili judicio, prompto intellectu, magna capacitate & facundia, pulcherrimaque forma à Natura præditus erat, zelatus in Religione, diſſimulativus, feliciſſimus in dandis conſiliis, & expediendis conſiliis;
qui-

quique Cæsareæ Majestati in omnibus satisfacere noverat. Cæsarea etiam Majestas eum admodum ditaverat, & magnum reddiderat, uti partim ex suis, quibus vivus gaudebat titulis, deprehendi potest. Tunc proverbium erat, Cæsaream Majestatem tres ingentes montes, ut sunt, Eggenberg, VVerdenberg, Questenberg, & tres pretiosas Gemmas, Dietrichstein, VVallstein & Liechtenstein in suis Regnis & provinciis hæreditariis habere; quippe familiæ istæ magnam optimorum, pulcherrimorumque dominiorum in Cæsareæ Majestatis provinciis hæreditariis, portionem ad se attraxerant, sibique appropriaverant.

Quantum vero hic Princeps à Cæsarea Majestate, totaque Inclyta Domo Austriaca propensæ & continuæ gratiæ, honorisque & existimationis apud omnes Ministros & Aulaicos Cæsareos, imo in uni-

universo Imperio, omnibusq; Cæsareæ Majestatis provinciis hæreditariis, sibi conciliaverat: tantum quoque viceversa, detecta Friedlandica proditione, & Pilsæ erecta conjuratione, de priori gratia & benevolentia Cæsarea & Austriaca, deque honore & respectu suo deperdidit, adeo ut nihil superflui temporis ad recipiendum se decenti modo ab Aula Cæsarea in Stiriam habuerit, postquam Rex Ferdinandus III omissis honorificis Vestræ Dilectionis verbis, quibus Principes Imperii ab Imperatore & Regibus salutari solent, ipsi valedixisset.

In Consilio secreto nunc sunt, Cardinalis à Dietrichstein, natione Moravus; Episcopus Viennensis, Rhenanus; Comes à Meggavv, Austrius; Comes à Trautmansdorff, Styrus; Comes Fuggerus, Suevus; Abbas à Lilienfeld, VVestphalus; Comes à Schlick, Bohemus;

Comes à VVerdenberg, Italus; Comes Mansfeldicus, Sacri Romani Imperii Comes, raro consilium ingreditur; Comes Schlavvata, Bohemus; Comes Kevenhüller, Carinthius; Comes à Mörsburg, Francus; Dominus Preüner, Austrius.

Consilium Imperiale Aulicum proximum & secundum est à Consilio Intimo; ubi deliberantur, consultantur & deciduntur simul res sacri Romani Imperii, publicæ & privatæ, ex præscripto juris & Imperii Constitutionũm, & ex observantia impertitorum, confirmatorum & extensorum Privilegiorum & immunitatum Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Ordinum, ut unusquisque in iis stabiliatur & tueatur, nec ullo modo contra præfata jura gravetur.

Consiliarii hujus Consilii partim Nobiles, partim Doctores sunt. Nobilium sex solummodo sunt ex Imperio oriũdi, reliqui vero omnes

in

in Cæſareæ Majeſtatis provinciis hæreditariis nati. Doctorum plures ſunt, præcipue quoad eos, qui ex Imperio, hoc eſt, extra provincias Auſtriacas, originem ducunt. Et quoniam res Electorum, Principum & Ordinum Sacri Romani Imperii magni ſunt momenti, ideo habita conſultatione & facta deciſione, Cæſarea Majeſtas de iis in Conſilio Secreto informatur, unde ejus quoque reſolutio expectatur. Hinc expeditio Secretario demandatur; & cum abſoluta eſt, dictus Secretarius ſe primo à ſiniſtra parte infime ſubſcribit; deinde in medio ad latus dextrum Vice-Cancellarius Imperii; denique vero proxime ſub ipſa ſcriptura Cæſarea Sua Majeſtas ſe à dextra quoque propria manu ſubſignat.

Annua ſtipendia ſingulorum Conſiliariorum Imperialium Aulicorum, ſunt duodecies centum floreni. Cæſarea vero Majeſtas præter

hæc,

hæc, iis gratuitos insuper nummos, secundum merita, & prout unusquisque Cæsareæ Suæ Majestati utilia ac fidelia præstitit ministeria, donat atque distribuit.

Consilium Aulico-Bellicum sive militare maxime ex Equitibus & militiæ Præfectis compositum est. In hoc agitur & deliberatur, de provisione Præsidiorũ & militum; quomodo bellum continuandum, & metata necessaria militibus assignanda, Exercitibusque pecunia, victus seu annona, & munitio subministranda, cæteraque omnia ad Cæsareæ Majestatis bonum, utilitatem & emolumentum dirigenda sint, eaque omnia fieri possint ac debeant.

Consilium Cameræ Aulaicæ Cæsareæ, non modo in reliquas Cameras omnes potestatem & jurisdictionem habet, sed etiam omnibus reditibus & proventibus, tam Imperii, quam inprimis Cæsareæ

Maje-

Majestatis provinciarum hæreditariarum, præest. Quanquam enim quodlibet Regnum & provincia Cæsareæ Majestatis hæreditaria, peculiarem suam habeat Cameram, hæ tamen omnes à supra dicta Camera Aulaica dependent.

Resolutiones hujus Consilii admodum lentæ & tardæ sunt, unde etiam in Conventibus Regni Hungarici, hoc inter alia maximum sæpe gravamen fuit, quod Ordines ac Subditi istius Coronæ, ad expeditionem pervenire non possent, verum multis magnisque impensis, rebus & negotiis suis domi neglectis, & quidem frustra, apud hanc Cameram Aulaicam expectare & differre cogerentur. Modernus hujus Consilii & Cameræ Aulaicæ Præses, Ecclesiasticus & Prælatus est.

Hic præcipue notandum, quod sæpe memoratæ Cameræ Aulicæ Præses, qui tot redituum millio-

nes è Cæsareæ Majestatis Regnis & provinciis hæreditariis dirigit, sive exautoretur, sive ipsemet resignet, administrationis suæ rationem reddendi obligatus non sit.

Consilium Ecclesiasticum ab Imperatore Maximiliano II ideo institutum fuit, ut res Ecclesiasticæ & Religionem concernentes, tam Imperii, quam Cæsareæ Majestatis Regnorum & provinciarum hæreditariarum, in eo deliberarentur & resolverentur. Hoc Consilium neq; Præsidem, neque certum Consiliariorum numerum habet, atque ejus dimidia pars ex Ecclesiasticis, altera vero ex Politicis composita est personis.

Consilium Conscientiæ solummodo ex conventu & consultatione sæpe plurium, sæpe vero pauciorum personarum Ecclesiasticarum constat.

Cum Cæsarea Majestas Anno MDCXXXV. una cum Electore Saxo-

Saxoniæ de pace Pragæ tractari curaret; Conscientia vero sua ea gravabatur difficultate, an scilicet bona Ecclesiastica in Imperio, quorum recuperandorum causa bellum tamdiu continuatum, tantumque sanguinis hactenus effusum fuerit, nunc tandẽ diutius in Euangelicorum potestate relinquenda essent? momentosam hanc conscientiæ quæstionem, ad Ecclesiasticos, ut ea de re arbitrium suum declararent, detulit.

Hinc factum ut Ecclesiastici variis è locis in Urbe Vienna convenirent, Consilium compositum è duobus Cardinalibus, duobus Episcopis, duobus Prælatis, duobus Canonicis, duobusque Patribus ex singulis Societatibus & Ordinibus, (inter quos duo quoque aderant Jesuitæ) formarent, remque hanc per aliquot septimanas deliberarent, & consultarent, tandemque talem sententiam statuerent, ut Cæsarea

Majeſtas poſtmodum cum Electore Saxoniæ in pactiones conſenſerit, atque pax tunc publicata fuerit.

Hæc igitur congregatio Eccleſiaſticorum, Conſilium Conſcientiæ tunc vocata fuit, quoniam res Cæſareæ Majeſtatis conſcientiam tetigerat.

Conſilium Aulico-Hungaricum, è Hungaris ſolis conſtitutum eſt, & à Palatino Regni Hungariæ, qui idem eſt ac Vice-Rex, dependet.

Hodiernus Palatinus eſt Dominus Eſterhaſii, Comes de Gallanta, Eques Aurei Velleris, qui Regnum Hungaricum in ſecularibus gubernat, ſicuti Cardinalis Paſſman, Jeſuita, Archiepiſcopus Granenſis, in Spiritualibus. Ad hoc Conſilium ſpectant res quoque Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ.

Conſilium Aulico-Bohemicum, licet formatum quidem conſilium ut reliqua non eſſe videatur, quoniam in eo ordinarie ſaltem ſunt,

Can-

Cancellarius, Vice-Cancellarius & Secretarius; ac de cætero regimen Locum tenenti, supremisque officialibus Regni, Pragæ commissum est; nihilominus tamen variæ supplicationes & libelli memoriales, res feudales, feuda vexillifera, immunitates, confirmationes & extensiones Privilegiorum concernentes, adCancellariam Aulico-Bohemicam, tam ex Urbe, quam ex agro, deferuntur, ac postea omnia in Cancellaria Aulica expediuntur.

Est & peculiaris feudorum Præpositus, qui in levibus feudi negotiis, Vasallis id convenienter petentibus, recognitiones, præstiti juramenti feudalis, inCancellariam impertitur & largitur; tunc postea literæ feudales perscribuntur. Processus vero, si qui sunt, ad Regium AppellationisConsilium, informationis causa, & ad explorandum hujus arbitrium, prius mittuntur, ac deinde tandē resolutiones ex Can-

cellaria Aulica subsequuntur. Alias Appellationes ex universo Bohemiæ Regno, tam urbanæ, quam provinciales ibi referuntur, ac multæ quoque sententiæ feudales ibidem statuuntur.

Barones & Equestres jus suum in tabulis publicis Regni, (vulgo die Landtaffel) quærunt; cum vero de debitis agitur, apud Burggravium, cujus dignitas post Regiam, in hoc Regno, primaria est. Revisiones ex Cancellaria ad Cameram quam viridem vocant, deferuntur. Cum aliquid momentosi in Aula accidit & contingit, Consilium Bohemicum nunc apud Dominum Vice-Cancellarium Imperii, Baronem à Stralendorf, celebratur, in quem finem, quoniam hoc tempore plurimæ & quidem haud parvi momenti res, Bohemiæ Regnum, hujusque incorporatas Provincias attinentes, deliberandæ & resolvendæ occurrunt, (quæ alias solis Bohe-

micis Consiliariis nimis difficiles & graves forent) Cæsarea Majestas præter dictos Consiliarios Bohemicos, nonnullos adhuc alios ex Consilio Imperiali Aulico deputavit.

Consilium Confiscationis constituunt, Episcopus Viennensis; Abbas à Lilienfeld, Cameræ Aulaicæ Cæsareæ Præses; Comes de Schlick, Consilii Aulico-Bellici Præses, una cum Cameræ Aulicæ Secretario Hoffmanno ab Anckerscron. In hoc Confiscationis seu Commissionis Consilio, antehac de distributione Friedlandicorum, Kintzkyschiorum & Ilauischiorum bonorum fisco addictorum, deliberatum fuit. Nuper in eodem de distributione Tertzkyschiorum bonorum agebatur, quæ tamen maximam partem jam aliis donata sunt. Et quoniam causa Tertzkyschiana jam ad finem est deducta; occupati nunc sunt in Silesiis & aliis

pluribus caufis; quæ confifcationis res præter memoratos quadraginta tres milliones, in plures etiam alios fe extendet milliones. Atque hæc & fimilia, media funt, quibus militiæ partim fatisfieri, partim hujus importunitates tranquillari & moderari poffunt.

X.

Particularia de præfentibus Oratoribus & Prolegatis exteris, deque Legatis & Agentibus Imperii.

IN Aula Cæfarea ordinarie refidet Nuncius Papalis, qui vocatur Nuncius Apoftolicus; Hic fpiritualem Iurifdictionem non modo in Regna Hungariæ, Bohemiæ & iis cohærentes incorporatafque, ut & in reliquas ditiones & provincias Auftriacas, verum etiam in univerfum Germanicum Imperium,

rium, prætendit, & extendere satagit; proque salute Ecclesiæ Romanæ vigilat, ne quid præjudicii & detrimenti capiat, ac si tale aliquid animadvertit, se opponit & adversum protestatur.

Quemadmodum nuper in causa Bremensi fecit, clementissimamque in ea resolutionem Cæsaream gratificatoriam ægre tulit; Cui vero Cæsarea Majestas respondit, se hoc, & antea alia quoque plura, quoniam Pontifex eam deseruerat, vigore transactionis Pragensis, facere debuisse.

Item Orator Ordinarius Regis Hispaniarum; ac nunc temporis continuo quoque Extraordinarius, Comes scilicet Oñatensis, qui militiam Germanicam & Cæsaream tam consiliis, quam mediis & subsidiis pecuniariis, dirigere & conservare juvat. Hic Consilium quoque suum habet; cujus Consiliarii sunt, Pater Chirova Franciscanus,

Reginæ Hungariæ Confeſſor; D. Novara Hiſpanus, Secretarius Bodin.

Galliarum Rex propter æmulationem & competentiam cum Hiſpano, Oratorem in Aula Cæſarea nullum habet. Noviſſimus Prolegatus ſuus, ſe hinc recipiendi neceſſitatem habuit.

Rex Britanniarum Prolegatum nunc quoque ſuum apud Cæſaream Majeſtatem habet.

Reſpublica Veneta Oratorem quoque ſuum in Aula Cæſarea olim habebat; verum ob ortam inter Hiſpanicum Oratorem Comitem Oñatenſem & Signor Pietro Gritti Oratorem Venetum competentiæ diſſenſionem, tredecim ab hinc annis nullus Orator Ordinarius à dicta Sereniſſima Republica Aulæ Imperiali adfuit.

Prolegatum vero ſuum ibi habet; cui ante duas circiter hebdomadas propoſitum fuit, ut dictam Rem-

Rempublicam eo diſponeret, ut Oratorem ordinarium rurſus ad Aulam Cæſaream mitteret, fore enim ut in pari honore ac Regius Orator in dicta Aula haberetur.

Magnus Dux Tuſciæ ante triennium Ordinarium quoque Oratorem ſuum, cui Oratoris tribuebatur titulus, in Aula Imperiali habebat, quique iiſdem fruebatur honoribus ac Orator Bruxellenſis. Nunc vero ſaltem Secretarium Viennæ habet.

Dux Sabaudiæ jam diu nullum ad Aulam Cæſaream miſit Oratorem, ex eo, quod præcedentiam ante Magnum Hetruriæ Ducem prætendit.

Electores, Principes & Ordines Sacri Romani Imperii, partim Prolegatos, partim Agentes, res ſuas in Aula Cæſarea negotiantes habent; ubi vero aliquid momentoſi & difficile contingit, Legatos ſuos ad Cæſaream Majeſtatem ablegant.

Nuncio Pontificio, ante reliquos Oratores omnes, ac præsentes etiam Imperii Principes, primus in hac Aula defertur locus. Post hunc præcedentiam sibi attribuit & prætendit Orator Hispanicus.



Sacræ

Sacræ Cæsareæ Majestatis
FERDINANDI
SECVNDI

Completus Imperialis Status Aulicus, ubi agitur

De omnibus Superioribus & Inferioribus Ministris & Officialibus, Consiliariisque Intimis: Imperialibus Aulicis: Cameræ Aulicis: Aulico bellicis: Hungaricis: Bohemicis: Austriacis: & variis aliis ejusmodi Cæsareis ac Regiis Consiliariis, Expeditionibusque Aulicis, deque variis Cancellariis, Cancellariarumque Ministris: ac præcipue quoque de quatuor summorum Aulæ Cæsareæ Officiorum diversis jurisdictionibus, Oratoribus, Residentibus seu Prolegatis, Agentibusque Imperii; Item de negotiatoribus, Opificiariisque Aulicis, Musicis, &c.

Sicuti hic status in Urbe Vienna, quæ nunc Imperialis est sedes, constitutus erat

ANNO M DC XXXVI.

SVPREMVS AVLÆ MAGISTER.

D. Leonhardus Hellfried, Comes à Meggavv.

Consiliarii Intimi.

D. Franciscus Cardinalis, & Princeps à Dietrichstein, Episcopus Olmutziensis in Moravia.

D. Antonius Princeps & Episcopus Viennensis, Abbas Cremiphanensis.

D. Leonhardus Hellfried, Comes à Meggavv, Supremus Aulæ Cæsareæ Magister.

D. Maximilianus Comes à Trautmansdorff, Regis Ferdinandi III Supremus Aulæ Magister.

D. Iohannes Ernestus Fuggerus, Comes de Kirchburg & VVeissenhorn, Eques, Consilii Imperialis Aulici Præses.

D. Ignatius Abbas à Lilienfeld, Cameræ Imperialis Aulicæ Præses.

D. Hen-

D. Henricus Schlick, Comes de Paſſavv & VVeiſſenkirchẽ, Conſilii Imperialis Aulico-bellici Præſes.

D. Iohannes Baptiſta, Comes de VVerdenberg, Cancellarius Cæſareus Aulicus.

D. VVolffgangus, Comes & Dominus de Mansfeldt, Conſiliarius Cæſareus Bellicus ac Præfectus Rabenſis in Hungaria.

D. Georgius Lippai de Zombor, Epiſcopus Veſperinenſis, Cancellarius Regius, Aulico-Hungaricus.

D. VVilhelmus Comes de Schlavvata, Supremus Cancellarius Regni Bohemici.

D. Franciſcus Chriſtophorus Khevenhiller, Comes de Francken-burg, Hungariæ ac Bohemiæ Reginæ ſupremus Aulæ Magiſter.

D. Iulius Neydthardus, Comes de Mörsburg.

D. Petrus Henricus à Stralendorff, Baro, Sacri Romani Imperii Vice-Cancellarius.

D. Syfridus Christophorus Preüner, Baro, Locum tenens regiminis Austriæ Inferioris.

Supremus Cubicularius.

D. Iohannes Iacobus Khiesel, Comes de Gotscher.

Supremus Aulæ Mareſcallus.

D. Leonhardus Hellfried, Comes de Harrach.

Supremus Stabuli Præfectus.

D. Bruno. Comes ac Dominus de Mansfeldt.

Cubicularii Cæſarei, qui tales de facto ſunt.

D. Iohannes Christophorus de Paar, Supremus Præfectus publici curſus, Aulico-Cæſareus.

Comes VVenceſlaus de VVurben.

Comes Carolus de Portia.

Comes

Comes Georgius Achatius de Lo-
fenftein.
Comes Szyvva de VVurben.
Comes Fridericus de Caveriani.
Comes Hieronymus de Monte-
cuculi.
Comes Montauto de Mont'acuto.
Comes Georgius Bartholomæus
Khiefel.
Comes Fridericus de Atomos.
Comes Vratiflaus de Furftenberg.
Comes Francifcus de Piccolomini.
Comes Iohannes de Schvvartzen-
berg.
Comes VVolffius Englbrecht de
Auersberg.
Comes Diodato de Conoffa.
Comes Simo Ludovicus à Dietrich-
ftein.
Comes Iohannes de Trautfon.
Comes Georgius Ehrenreich de
Trautmanfdorff.
Comes Adamus de Budiani.
Comes Adamus Fergatfch.
Comes Iulius de Salm.

D. Gabrielus Ardedi, Baro.
D. Iohannes Sigiſmundus Gayler, Baro.
D. Dionyſius Setzchy, Baro.
D. Stariſlaus Potaizi VVolffsky.
D. Giacomo di Negro, Baro.
D. VVilhelmus de Tädenbach, Baro.
D. Chriſtophorus de Eybisvvald, Baro.
D. Iohannes Maximilianus de Lamberg, Baro.
D. Petrus Erneſtus de Molavv, Baro.
D. Iohannes Georgius de Herberſtein, Baro.
D. Chriſtophorus Teuffel, Baro.
D. Rudolphus de Paar, Baro.

Cubicularii Cæſarei Extraordinarii, Principes, Comites ac Barones.

Chriſtianus Princeps Anhaltinus.
D. Iohannes Caſparus, Magiſter Ordinis Teutonici in Germania

ac Italia, Princeps Margenthei-
mensis.
Iulius Henricus Dux Saxoniæ Lavvenburgicus, Tribunus militũ.
Rudolphus Maximilianus Dux Saxoniæ Lavvenburgicus, Tribunus militum.
Franciſcus Albertus Dux Saxoniæ Lavvenburgicus, Tribunus militum.
Rudolphus Dux Lignitiæ.
Henricus VVenceſlaus Dux Münſterbergenſis.
Maximilianus Princeps de Liechtenſtein.
Ferdinandus Princeps deCardenas.
Comes Antonius Guntherus abOldenburg.
Comes Chriſtianus de VValdeck.
Comes Iohannes Ludovicus Naſſovicus.
Comes Fridericus de Hardeck.
Comes Georgius Ludovicus de Schwartzenberg.
Comes Fridericus de Furſtenberg.

Comes Gulielmus de Schlavvata.
Comes VVolffgangus Mansfeldicus.
Comes Bruno Mansfeldicus.
Comes Henricus de Schlick.
Comes Maximilianus à Dietrichſtein.
Comes Franciſcus Chriſtophorus Khevenhiller.
Comes Iroſlaus Borzita de Marzin.
Comes Leonhardus Hellfridus de Meggavv.
Comes Balthaſarus de Maradas.
Comes Iohannes Naſſovicus.
Comes Georgius de Opperſdorff.
Comes Matthias de Gallas.
Comes Michaël Adolphus de Altheim.
Comes Gulielmus Uratiſlaus de Mitrovvitz.
Comes Adamus Paulus Schlavvata.
Comes Maximilianus de VValſtein.
Comes Leonhardus Carolus de Harrach.

Comes Rudolphus de Colloredo.
Comes Ottavio Piccolomini.
D. Arnoldus de Peymer, Baro.
D. Philippus Huſſman, Baro.
D. Iohannes Iacobus de Kueffſtein, Baro.
D. Erneſtus de Kollonitſch, Baro.
D. Ferdinandus Kurtz de Senfftenavv, Baro.
D. Chriſtophorus Löbl, Baro.
D. Syfridus Chriſtophorus Preuner, Baro.
D. Julius Neydhardus de Mörsburg, Baro.
D. Gulielmus Leolpoldus Nothafft de VVerdenberg, Baro.
D. Gundacker de Polheimb, Baro.
D. Paulus } Palffii, Barones.
D. Stephanus } Palffii, Barones.
D. Erneſtus de Suys, Baro.
D. Paulus Iacobus de Starenberg, Baro.
D. Rudolphus de Tieffenbach, Baro.
D. Fridericus de Thalenberg, Baro.

D. Christophorus Thonrädl, Baro.
D. Christophorus Paradeyser.
D. Sigismundus Adamus de Traun, Baro.
D. Adamus de VVallstein, Baro.
D. Carolus de Tzscherotin, Baro.
D. Petrus Henricus de Stralendorff, Baro.
D. Conradus de Steinberg.
D. Henricus de St. Iuliani, Baro.
D. Georgius Teuffel, Baro.
D. Iohannes de Beck, Baro.
D. Leopoldus de Stralendorff, Baro.
D. Ioachimus Adolphus de Stralendorff.

Oratores, ac Legati præsentes.

Nuncius Pontificius ordinarius, D. Malatesta Baglioni, Archiepiscopus Pesarinus.

Nuncius Pontificius extraordinarius, D. Mario Filionardi, Archiepiscopus Avinionensis, qui nuperrime Aulæ Cæsareæ adfuit: è Vienna Poloniam versus tunc profectus est.

Regius Hispanicus Orator Ordinarius.

Don Sancho di Monroy è Zuniga.

Extraordinarius.

Don Inigo Velez de Guevara, Conte de Oñate, Magnus Hetruriæ Dux. Oratorem ſuum olim in Aula quoque Cæſarea habebat, hodie vero nullum.

Conſiliarii Imperiales Aulaici.

Subſellium Nobilium, Comitum, Baronum & Equitum.

D. Iohannes Erneſtus Fuggerus, Comes de Kirckberg & VVeiſſenhorn, Conſilii Imperialis Aulaici Præſes.

D. Petrus Henricus à Stralendorff, Baro, Vice-Cancellarius Imperii.

D. Iohannes de Reck, Baro, Conſilii Imperialis Aulaici Vice-Præſes.

D. Gundtacker de Polheimb, Baro.

D. Nicolaus Neydthardus de Mörsburg, Baro.
D. Leonhardus Carolus, Comes de Harrach.
D. Iohannes Franciſcus, Comes de Trautſon.
D. Simo Ludovicus, Comes à Dietrichſtein.
D. Georgius Vlricus Comes de VVolckenſtein.
D. Carolus Fuchſius de Fuchsberg, Baro.
D. VVolffius Sigmundus de Herberſtein, Baro.
D. Tobias de Haugvvitz, Baro.
D. Ferdinandus Sigiſmundus Kurtz de Senfftenavv, Baro.
D. Hermannus de Queſtenberg, Baro.
D. Simo Hieronymus de Sprintzenſtein, Baro.
D. Iohannes Henricus Nothafft, de VVehrenberg.
D. Arnoldus de Peymer, Baro.
D. Caſparus Tertz.

D. Mat-

D. Matthias VVerdemann de Plurs.
D. Antonius de Pappen.

Subsellium Doctorum.

D. Otto Melander de Schvvartzenthal.
D. Conradus Hillebrandus.
D. Thobias Haitzoldius.
Matthias Arnoldin de Clarstein.
D. Iustus Gebhardus.
Franciscus Rouson.
Iohannes Gran, Licentiatus utriusque juris.
D. Iohannes Söldner.
D. Iohannes Matthias Prügelsmeyer.
Iohannes Crafft.

Consiliarii Cæsarei Cameræ Aulaicæ.

D. Ignatius Abbas à Lilienfeldt, Cameræ Aulaicæ Cæsareæ Præses.
D. Iohannes Baptista VVeberus, Baro.

D. Iacobus Berchtoldus de Vngersdorff, Baro.

D. Iohannes Christophorus de Schellendorff, Baro.

D. Hieronymus Bonacina.

D. Clementus Radoldus.

D. Bartholomæus Schölhardt.

Consiliarii Cæsarei Aulico-Bellici.

D. Henricus Comes de Schlick, Consilii Cæsarei Aulico-Bellici Præses.

D. Fridericus, Dux de Savelli.

D. Balthasarus Comes de Maradas.

D. Rudolphus de Tieffenbach.

D. Iohannes Christophorus Löbel, Baro.

Consilii Cæsarei Aulico-Bellici Vice-Præses, & Præfectus Præsidii Viennensis.

D. Iohannes de S. Iuliani, Baro.

D. Gerhardus de Questenberg, Baro.

Stipatorum Hastiferorum Præfectus sive Capitaneus.

Don Balthasarus, Comes de Maradas, Stipatorum Equestrium Centurio.

Stipatorum Bipennigerorum seu pedestrium Centurio sive Capitaneus.

D. Philippus Comes Mansfeldicus.

Magister Bacilli, seu Officialis Cæsareus, qui bacillum nigrum gerens, dapes quæ ad mensam Cæsaream feruntur præcedit, vulgo Stäbelmeister *dictus.*

Comes Diodato de Conossa.

Supremus Venator, & Falconarius.

D. Bruno Comes & Dominus de Mansfeld, his ambobus officiis nunc quoque fungitur.

Supre-

Supremus communis Cursi Præfectus Aulaicus.

D. Iohannes Christophorus de Paar, Baro.

Consiliarii Aulico-Hungarici.

D. Georgius Lippai Episcopus Vesperinensis, Regius Cancellarius Aulicus.

D. Thomas Mikulich de Brukonoz, Regius Consiliarius, & Personalis Præsentiæ Regiæ in judiciis Locum tenens.

Consiliarii Aulico-Bohemici.

D. Gulielmus Comes de Schlavvata, Primus Cancellarius.

D. Adamus Libstentzky de Kollobrat, Baro, Vice-Cancellarius Regni Bohemici.

Post

Poſt memoratum Officialem Bacilligerum, ſequuntur nunc realia Aulæ Officia.

Pocillatores.

D. Camillo Bocco Maggior, Baro, Senior Pocillator.
D. Marchio Hiacinto di mala Spina.
D. Simo Coraſinsky.

Prælibatores.

D. Bocco Maggior.
D. Michaël de Aluerngia.
D. Adolphus de Lembruch.
D. Matthias de Verdina.

Panetarii.

D. Maximilianus Laymann.
D. Eraſmus de Hirſchberg, Eques.
D. Otto Ludovicus de Kirchberg.

Dapiferi.

Comes Vgelino de Maneggio.
D. Iohannes Murath de Grunthal.
D. Thomas Buzella.
D. Benedetto Spinola.

Supe-

Superior Argentarius.

D. Iohannes Georgius de Herberſtein, Baro.

Inferior Argentarius.

D. Laurentius de Hüttendorff.

Supremus Culinæ Magiſter.

Theodorus Hartmannus de Clarſtein.

Eccleſiaſticæ Perſonæ.

Pater Gulielmus Laimormain, Jeſuita, Conſiliarius Conſcientiæ & Confeſſor Cæſareus.

Duo Concionatores Aulici.

Pater Iohannes VVeingartner, Jeſuita, Concionator Cæſareus Aulico-Germanicus.

Pater Urbanus, Concionator Aulico-Italicus.

Paulus Knorr de Roſenroth, Supremus Sacellanus Aulicus & Eleemoſynarius.

Alii

Alii Sacellani Aulici.

Vlricus Zürcher.
Urbanus Seymer.
Caſparus Gorizuti.
David Heyder.
Felix de Felicibus.
Volckhardus Grünvvegen.
Iohannes Georgius Faber.

Bibliothecarius Cæſareus.

D. VVilhelmus Rechberger.

Hiſtoricus Cæſareus.

D. Philippus Caroli.

Cæſareæ Majeſtatis Mathematicus olim erat Doctor Iohannes Guilielmus Annagetta; nunc vero nullus eſt.

Theſaurarius.

Nicolaus Churland.

Cæſareæ Majeſtatis Medici Aulici.

D. Thomas Mingonius.
D. Guilielmus Rechberger.

D. Io-

D. Iohannes Gulielmus Mannagetta.
D. Leonhardus Mahlgiesser.
D. Iohannes Gulielmus Iuncker.

Prolegati seu Residentes præsentes.

Regius Hispanicus.

Ambrosius Rentz, qui Bruxellenses res quoque negotiatur.
Prolegato Regio Gallico, Monsieur di Scarbonera, aditus quem eatenus Viennæ ad Aulam Cæsaream habuerat, non modo ante aliquot menses prohibitus, sed etiam intra paucos dies urbe totaliter exire jussus fuit.
Regis Galliarum Matris Prolegatus, Monsieur Roveroy, ad Dominam reversus est.

Regius Britannicus.

Monsieur Iohann Tayler.

Regius

Regius Polonicus.

Monsieur Giboni.

Reipublicæ Venetæ.

Iohann Baptista Balderino.

Sabaudicus.

Octavius Bolognese.

Reipublicæ Genuensis.

Pietro Panical.

Dux Mantuæ nunc neminem in Aula Cæsarea habet.

Dux de Modena res suas per alium Prolegatum negotiari curat.

Sequitur nunc Iurisdictio supremi Aulæ Magistri.

1 Contrerolor Aulicus, ut vulgo vocant.

1 Pecuniarius Aulicus, vulgo Pfenning meister.

1 Ianuæ custos, vulgo Huschter.

5 Heraldi, ſeu Feciales.
1 Superior tapetum curator.
2 Aulæ ſeu communis conclavis Portitores.
1 Oratorii famulus.
3 Rei argentariæ famuli.

Culina Aulica.

1 Coquus Oralis ſeu Oris, ut ſonat Idioma Germanicum, Mund-koch.
6 Coqui Magiſtri.
10 Coqui Inferiores.
2 Aſſatores.
2 Adjuncti.
2 Coqui Iuſcularii.
2 Appoſitores.
8 Culinæ pueri.
2 Culinæ latores ſeu Geruli.
1 Culinæ oſtiarius.
1 Lignator.

Cella Aulica.

1 Cellarius Aulicus.
1 Cellæ Scriba.

2 Cellæ

2 Cellæ Famuli.
3 Victores Cellarii.
2 Pueri, vulgo Mund Jungen.

1 Iudex Cameræ Cæſareus.
3 Cæſarei Præſides Camerales.
1 Aſſeſſor Moguntino-Electoralis.
1 Aſſeſſor Treviro-Electoralis.
1 Aſſeſſor Electoralis Colonienſis.
2 Extraordinarii Aſſeſſores Electorum Eccleſiaſticorum.
1 Aſſeſſor Palatino-Electoralis.
1 Aſſeſſor Saxonico-Electoralis.
1 Aſſeſſor Brandenburhico-Electoralis.
2 Aſſeſſores Extraordinarii Electorum ſæcularium.
2 Aſſeſſores Auſtriaci.

2 Assessores Burgundici.
4 Assessores Circuli Imperio-Franconici.
4 Assessores Circuli Imperio-Bavarici.
4 Assessores Circuli Imperio-Suevici, quorum quarta sedes aliquandiu vacavit.
4 Assessores Circuli superioris Imperio-Rhenani; horum duæ vacant sedes.
4 Assessores Circuli inferioris Imperio-Rhenani; omnes hæ sedes nunc sunt vacantes.
4 Assessores Circuli Imperio-Saxonici.
1 Advocatus Fisci, Doctor Iuris.
14 Advocati, omnes Doctores Iuris.
1 Procurator Fisci, Doctor Iuris.
22 Procuratores, omnes Doctores & Licentiati.
1 Cancellariæ Præpositus, utriusque Iuris Doctor.
3 Protonotarii, nunc prima & secunda

cunda harum ſedum ſunt vacantes.

4 Lectores.
1 Notarius Fiſci.
1 Regiſtrator.
4 Notarii.
1 Magiſter Tabellariorum.
1 Medicus.
2 Famuli.
1 Cancellariæ Receptor.
4 Ingroſſiſtæ.
2 Copiſtæ.
1 Cancellariæ Miniſter.
10 Tabellarii Camerales equites.
10 Tabellarii pedites.



Designatio omnium

à

Sacra Cæsarea Majestate

FERDINANDO

SECVNDO

Creatorum Principum, Comitum ac Baronum, conscripta

ANNO M DC XXXVI.

PRINCIPES.

ERnestus Comes de Schaumburg Princeps.
Iohannes Georgius de Hohenzollern.
De VValdtstein.
Franciscus & Maximilianus de Dietrichstein.
Philippus Otto Comes Rheni.
Stencko Adolbert de Lobkovvitz.
Albertus Friedlandicus, Dux.

Alii Principes & Marchiones.

Petrus Aldobrandinus, Marchio.
Fabricius Caraffa, Princeps.
Carolus Spinelli, Marchio.
Antonius Biglio, Marchio.
Carolus Emanuel de Gore, Princeps.
Carolus Philibertus de Este, Princeps.
Ludovicus Victorius, Marchio.

Hiero-

Hieronymus Caraffa, Marchio de Monte Negro, Princeps.

Comes à Contecroy, Princeps.

Carolus de Cardenas, Princeps.

Paulus Hieronymus, Marchio.

Antonius Episcopus Viennensis, Princeps.

Georgius Ossomilimius in Tezin, Princeps.

Titulus Marchionis Sac. Rom. Imperii, pro Alberto Altoviti.

Titulus Marchionis Imperii, cum concessione Aquilæ Imperialis, pro Thoma Raggio.

Comites.

Barones de Puchheim.

Baro de Nachot.

Domini de Meggavv.

De Bronkorst, *cum titulo Illustrissimi.*

De Geraldin.

De Michna.

De Tylly, *cum tit. Illustrissimi.*

De Mitrovvitz.

Maxi-

Maximilianus de Trautmansdorff, *cum tit. Illustrissimi.*
De Losenstein.
Iohannes Iacobus Kiesel, *cum tit. Illustrissimi.*
Balthasarus de Thanhausen, *cum tit. Illustrissimi.*
De Taxis.
Sdenckho de Schambach.
Sesyma de VVetby.
Don Rodoricus Barragan.
CasparusBernhardus de Rechberg, *cum tit. Illustrissimi.*
De VValdeck, *cum tit. Illustrissimi.*
Hermannus Tschernin.
Cratzienses fratres.
Burian Bercka.
Adamus Erdmannus Tertzka.
Gulielmus Verdugo.
Paulus Andreas de VVolckenstein.
Henricus, hæreditarius Imperii Dapifer.
Baro de VValdtpurg, *cum tit. Illustrissimi.*

Gulielmus de Michnitz.
Iohannes Iacobus Dapifer hæreditarius, *cum tit. Illuſtriſſimi.*
Gothofridus Henricus de Pappenheim Baro, *cum tit. Illuſtriſſimi.*
VVenceſlaus de VVürben, *cum tit. Illuſtriſſimi.*
De VVrzeſſvvitz.
Rudolphus Tertzka.
VVoldemarus Chriſtianus de Holſtein.
Theodorus & Iohannes Andreas de Auersberg.
Philippus Adamus de Cronberg.
Carolus Chriſtophorus de Brandſtein.
De Dörring.
Gulielmus de Clenovva.
De Königsegg, *cum tit. Illuſtriſſimi.*
De Atthunis.
Iohannes Balthaſarus & Sigiſmundus Ludovicus de Dietrichſtein.
Ladiſlaus de VValdtſtein.
Henricus Holckha.

Iohannes de Altringen.
Iohannes Carolus de Schõnburg.
Ioachimus de Mettich.
Iohannes Ludovicus Isolan.
De VVolckenstein, linea Rottenecciana, *cum tit. Illustrissimi.*
Adolphus & Carolus de Puchaimb.
Nicolaus de Fours.
Iacobus Khneu.
De Hatzfeldt, fratres & Agnati, *cum tit. Illustrissimi.*
Franciscus de Vllefeldt.
Iohannes de Götz.

Alii Comites.

Iohannes de Ligniville.
Theodorus Trivultius.
Franciscus & Baptista de Crescẽtiis.
Carolus de Gans.
Iacobus Strozzi.
Iohannes Baptista à Verdenberg.
Henricus de Ravero.
Sdenco à Collobrat.
Paulus Bernardus de Fontanis.
De Fontaine.

Vin-

Vincentius Cavalli.
Martinus & Georgius Krafichi.
Ioachimus de Quincey.
Caſparus Erneſtus & Gerardus fratres à Donhoff.
Maximilianus de Gallian.
Lupus Gualtherus Zapata.

Barones.

De Virnemond.
De Reiffenberg.
De Vlm.
De VVrzeſovvitz.
De VVeber.
De Stain.
De Tattenbecken.
De VVazen.
De Sickhingen.
Hermannus Tſchernin.
De Curtzen.
De Benzenavv.
De Spiering.
De Cloſen.
De Meſpelbrunn.
Vicentius Muſchinger.

De Nevvhaufz.
Otto de Noſtitz.
Iohannes Herſan.
De Rorbach.
De VVannsheimb.
Levinus de Montagni.
De VVeichs.
De Radtheubt.
Urbanus Schätzel.
Georgius Zdiarsky de Zdiar.
Fratres VVürtenbacenſes.
De Degenfeldt.
De Queſtenberg.
Ferdinandus Geitzhofler.
Gulielmus de Clenovva.
Thomas de Lindlo.
Iohannes Ulricus Schafgotſch, *cum tit. ſemper liberi.*
Ioachimus de Donnersberg.
Henricus de Ginandis.
Iohannes de Schönſtein.
Henricus Carolus de Orſſcalor.
Huſſmanni fratres.
Iohannes Carolus Fuchs.
Iohannes de Altringen.

De Baumgartten fratres.
Carolus de Haimb.
Franciſcus Marzoni.
Ulricus de Romung.
Iohannes de Brembdt.
Cornelius de Mühlen.
Alexander de Vehlen.
Caſparus de Gram.
De Comargo.
Theodorus & Iohannes Andreas de Auersberg.
Gulielmus & VVernerus de Bongartten.
Iohannes Ulricus & Georgius Ehrenricus de Phüring.
Iohannes Carolus & Otto Fridericus de Schönburg.
Philippus Hector & Leopoldus de Adelshauſen.
De Cloſen.
Ferdinandus Rudolphus Laſchanzky.
Henricus & Chriſtophorus Adamus de Muggenthal.
Iohannes Fridericus & Iohannes Con-

Conſtantinus de Penzenavv.
Eberhardus Adolphus de Muggenthal.
Tobias de Haubitz.
Iohannes Henricus Nothafft.
Franciſcus Maximilianus de Billeke.
Iohannes de Reck.
Georgius Fridericus de Stauding.
Iacobus Berchtoldt.
Iohannes Georgius de Seebach.
Sebaſtianus VVietz.
Iohannes Götz.
Iohannes Rudolphus de Bredavv.
Reinhardus de VValmerode.
Iohannes Chriſtophorus & Iohannes Paulus de Ruppen.
Lutherus de Bunighauſen.
Maximilianus de Goltz.
De Paar.
Vopius de Aiſema.
Iohannes de Leuttersheim.
De Corpus, ſeu Corpus dicti fratres.
Iohannes de VVehrt.

De Roniach.
Crafftenses Fratres.

Alii Barones.

Florianus Theodoricus.
Albertus Clodomirus Fabriani.
VVolffgangus Gulielmus Laminger.
Iohannes Baptista Verda.
Henricus Baradis.
Christophorus Nicolaus, Andreas, Samuel & Stanislaus } Orlick.
Martinus Samgii.
Iohannes Baptista Trecho.
Leo Gropello Medici.
Ernestus de Suis.
Iosephus de Nevvhausz.
Ernestus de Linden.
Iohannes de Merode.
Iohannes Gulielmus Arnoldus à VVachtendonck.
Georgius di Gagliard.
Iohannes Cerboni.

Degenhardus Bertamo à Lohe in VVisen.

Iacobus Franciscus Bestakalda.

Matthias Gallas.

Philippus & Bernhardus } de Areizaga.

Franciscus Porta.

Adrianus ab Enckefort.

Ernestus Henricus & Gothofredus, } à Scharenberg.

Matthæus de VVernier.



COMITVM, BARONVM ac Nobilium familiarum Archiducatus Austriæ inferioris & superioris Nomina:

Quæ hodie tales de facto reputantur & agnoscuntur, ac publicis conventibus, aliisque communibus congregationibus Provincialibus intersunt, ordinaria sua vota & suffragia in iis habentes.

DE ANNO M DC XXXVI.

COMITES AC BARONES.

A.

Altheim, Comites & Barones.
Aſpann.
Auersberg.

B.

Breuner.
Baſta.
Brandeiſz.
Beck.
Barbo.

C.

Collalto, Comites.
Concin.

D.

Dietrichſtein, Principes, Comites ac Barones.
Dozi.

E.

Egg.
Enckefurt.
Eybesvvald.
Eggēberg, Principes & Barones.
Eytzing.

F.

Freyberg.
Fugger, Comites & Barones.
Furſtenberg, Comites.
Fünffkircher.

G.

Geymann.
Gilleiſz.
Greiffenberg.
Gera.
Grana, Marchiones.
Greuſſen.

H.
Haimb.
Harrach, Comites.
Heuſſenſtein.
Hoffman.
Hardegg, Comites.
Herberſtein.
Hoffkirchen.
Hois, Comites & Barones.

I.
Iörger.

K.
Keynach.
Katzianer.
Kirchberg.
Königsberg.
Khüen.
Kollonitſch.
Kuffſtein, Comites & Barones.
Karling.
Khieſel, Comites & Barones.
Khevẽhuller, Comites & Barones.
Khüenburg.
Krauſenegg.
Khilnitz.
Kurtz.

L.
Lamberg.
Liſthius.
Löbl.
Liechtenſtein, Principes, Comites & Barones.
Loſenſtein, Comites.

M.
Maraxii.
Montecuculi.
Montreſchier.
Meggavv, Comites & Barones.
Molart.

N.

Nevvhauſs.
Nevvdegg.

O.

Oedt.
Ortenburg, Comites.
Oppersdorff, Comites.

P.

Palffy, Comites & Barones.
Pötting.
Praneck.
Pucheim, Comites & Barones.
Pettey.
Polheimb.
Prag.
Pröſing.

Q.

Queſtenberg.

R.

Radmansdorff.
Rappach.
Reingriff.
Rogendorff.
Rueber.
Rauchenſtein.
Reiffenberg.
Rödern.
Rotthal.

S.

Sallburg, Comites.
Santhilier.
Sauravv.
Schiffer.
Schrottenbach.
Seeman.
Sitzendorff.
Spritzenſtein.
Salm, Comites.
S. Iuliani.
Schärffenberg.
Schonkirchen.
Schrott.
Serin, Comites.
Sonderndorff.
Stadl.

Stahrenberg.
Stroza, Comites.
Stubenberg.
Stotzing.
Strein.

T.

Tanneberg.
Tannrädl.
Taxis, Comites & Barones.
Teuffel.
Traun.
Trautſon, Comites.
Thurn, Comites.
Tyllii, Comites.
Tannhauſen.
Tättenbach.
Tieffenbach.
Trautmansdorff, Comites & Barones.

V.

Vngnad.
Vrſenbeck.
Vnverzagt.

VV.

VVerdenberg, Comites.
VVeber.
VVindiſchgratz.
VVurmbrandt.
VVallnſtein, Comites.
VVeltz.
VVolzogen.

Z.

Zintzendorff.

Equi-

Equites ac Nobiles.

A.
Althamber.
Ambſtetter.
Anfang.
Artſtetter.
Avver.

B.
Bayr.
Berchtoldt.
Blavvenſtein.
Back.
Bonnacina.

C.
Cammerer.
Caplan.
Corvin.

D.
Dillherr.
Doerr.

E.
Eggſtein.
Ehrenreutter.
Ello.
Engel.
Englhover.
Erſtenberger.
Eysſler.

F.
Fazi.
Federle.
Fenck.
Fentzl.
Fernberger.
Feyertager.
Fierentz.
Fluſzhardt.
Francking.
Friedersheimb.
Fraunhamber.
Fraunhoffer.
Fürttenberg.

G.
Gabelkofer.
Gärtinger.
Geyer.
Geyer de Oſten-burg.

Geer-

Geerhaben.
Giulini.
Goldt.
Goltz.
Grolner.
Grafſican.
Gſchőnick.
Grauſteiner.
Grebel.
Gregorotzky.
Greuſſen.
Gruber.
Grunberg.
Grundemann.
Grünthal.
Gurlandt.

H.

Haffner.
Hack.
Hacker.
Häckl.
Hackberger.
Hager.
Haiden.
Händl.
Hatzenberger.
Heysberg.
Hegenmuller.
Steubel.
Heuberger.
Hirſchberg.
Hilbrand.
Hoberg.
Höchſtätter.
Hoe.
Hochenegger.
Hohenfelder.
Hohenvvart.
Hőritzer.
Hőrlinsberger.
Hornberg.
Huetſtocker.
Hüttendorffer.
Hütter.

I.

Iägenreitter.
Iudenſeer.
Imbrugg.
Irnfeld.
Iſperer.

K. Key-

K.

Keyſerſtein.
Kauffmann.
Khain.
Kemptner.
Keelhammer.
Kielmann.
Kirchberg.
Kleindienſt.
Kreuſſel.
Köllenbeck.
Kornfeil.
Kötzler.
Krämer.
Kornberg.
Krackritzer.
Kulmer.
Kuttenfelder.

L.

Lagelberger.
Lampel.
Landavv.
Langeyſen.
Landsberger.
Laſotto.
Lasberg.
Lehner.
Lambſitz.
Leyſer.
Lindegg.

M.

Mager.
Mayer.
Maladayn.
Mämmingen.
Moreck.
Maſco.
Moſer.
Murtzer.
Muhlvvanger.
Mülhaimb.

N.

Neydthard.
Nieſſer.
Nothafft.
Notlitſch.
Nutz.

O.

Oberheimb.
Oedt.

Opel.

Opel.
Oftermayer.

P.

Pacheleb.
Pachmayer.
Panicher.
Paumgarttner.
Pentzing.
Perger.
Prevvang.
Perckhoven.
Pernftorffer.
Peftallutz.
Prugger.
Pruckheimb.
Pflügel.
Piedersdorffer.
Pinder.
Pircking.
Pirckheimb.
Pirckhammer.
Podenftein.
Polani.
Pranck.
Praun.
Puedler.
Puecher.

R.

Rächvvein.
Radobrunner.
Rainer.
Rauber.
Ratzendorff.
Redern.
Rehling.
Reickherr.
Riederer.
Ringsmaul.
Römer.
Rohrbach.
Rottenburg.
Rutzinger.

S.

Sachfenländer.
Schachner.
Schadner.
Schallenberg.
Schallhard.
Schinderle.
Schlucks.

Schmel-

Schmeltzing.
Schmidtauer.
Schmidtsberger.
Schönavver.
Schönovvitz.
Schröttel.
Schütter.
Schvvaibermayer
Schvvartzbeck.
Schvveinbeck.
Segger.
Serentein.
Siebenbürger.
Sigmayer.
Span.
Spätt.
Spiler.
Spindler.
Stängel.
Startzer.
Steger.
Stettner.
Stockhorner.
Storch.
Straſſer.
Straub.
Strauſz.
Stredele.
Strutz.
Stubnarr.

T.

Tertz.
Thurhaimb.
Tollinger.
Tornavv.
Tranidt.
Tyriach.

V.

Velderndorff.
Vierherr.
Vngelter.
Vterholtzer.
Vogt.
Volckrah.

VV.

VVeetzhover.
VValdberg.
VValler.
VValther.
VValterskircher.

VVayſſel.
VVeidner.
VVeiſs.
VVeixelburg.
VVeſternacher.
VVielinger.
VVinckler.
VViſendo.
VVeittich.
VVoppinger.
VVolff.

Z.

Zehentner.
Zeller.
Zeiner.
Zobel.



FORMÆ DIPLOMATVM FERDINANDI SECVNDI.

I. *Pro Roberto Dudlæo, renunciato in Ducem Northumbriæ in Anglia. quod factum eodem tempore, quo Fridericus Bohemiæ Rex ab eodem Imperatore proscriptus fuit.*

II. *Investituræ Maximiliani Bavari in dignitatem Palatini Electoralem, sine mentione hæredum.*

III. *Quinque Diplomatum formæ, pro Principe, Comite, Barone, Nobili, & Ingenuo, in sublimiorem Ordinem extollendis.*

E Germanico in Latinum traductæ.



I.

Diploma Imperatoris FERDINANDI SECVNDI;

Quo Robertum Dudlæum declarat & renunciat Ducem Northumbriæ in Anglia. quod factum eodem tempore quo Fridericus Rex Bohemiæ ab eodem Imperatore fuit proscriptus.

FErdinandus Secundus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c. (*Titulus major.*) Illustri sincere Nobis dilecto Roberto Dudlæo Duci Northumbriæ, Comiti de VVarvvyck, gratiam nostram Cæsaream & omne bonum.

Majeſtatis Imperialis, ad cujus ex-
celſum faſtigium, Divina Provi-
dentia ſumus evecti, præeminentia
atque dignitas, ſi alia in re ulla con-
ſiſtit, eo certe in ſtudio cum primis
ſeſe extollit, quod Iuſtitiæ & æqua-
bilitati, qua nimirum unicuique
ſuum tribuitur, tuendæ & conſer-
vandæ impendit; cogitationes ſuas
in id convertens, ut, cum depravati
perditorum hominum mores, le-
gum ſeveritate coërceantur, vice
autem verſa, qui cæteros natalium
ſplendore, vitæ integritate, fide in-
concuſſa, aliiſque virtutibus ante-
cellunt, uberiorum quoque ho-
norum præmiis condecorentur;
rum vero potiſſima eorum habea-
tur ratio, qui Proſapiæ ſuæ vetuſtate
conſpicui, eandem tam ipſi, quam
eorum majores non modo præcla-
ris actionibus in ſecundæ fortunæ
ſplendore illuſtriorem reddere ſa-
tagunt, verum etiam laudatiſſima
animi moderatione atque virili
con-

constantia, sortem quoque adversam, uti rerum humanarum sunt vicissitudines, fortiter excipiunt; & quemadmodum idem Solis gressus est, sive cœlo sereno, sive nubilo, sic hi memores generosæ propaginis unde sanguinem traxerunt, ad varios instabilis fortunæ adspectus, nec vultum nec animum mutant, sed unam eamque præcipuam curam habent, ut fidem Deo, Religioni & Reipublicæ debitam, nulla indigna actione contaminent, sed quacunque etiam via, vel ratione possint, in afflictæ Patriæ solatium, vel supremorum Orbis Principum beneficium, studia atque consilia sua utiliter conferant, adeoque non sibi tantum & suis, verum Reipublicæ majore ex parte se natos vivis rerum exemplis profiteantur.

Cum igitur fide digno testimonio ac diversis authenticis Literarum documentis compertum habeamus, ex ea Vos familia in An-

gliæ Regno originem ducere, quæ viros complures à singulari prudentia & auctoritate in primariis Regni functionibus cum dignitate sustinendis exercitatos, & proinde domi forisque celebres & belli pacisque artibus claros produxerit, unde per varios honorum gradus, quod historiæ aliaque passim monumenta testificentur, Regum benignitate in Regno sint provecti; atque inter cæteros avus olim vester paternus Iohannes Dudlæus Comes de VVarvvyck, postquam observantiam suam erga Regem, amorem in Patriam multis argumentis & occasionibus non minus gloriæ, quam periculis plenis, abunde comprobasset, suprema Ducalis dignitatis prærogativa libere & inconfiscabiliter insigniri, & pro se, ac hæredibus suis masculis Dux Northumbriæ dici, atque ad nomen, titulum, statum, gradum, locum, sedem, præeminentiam, honorem,

norem, autoritatem & dignitatem Ducis Northumbriæ legitime promoveri, & de iis omnibus realiter investiri meruerit; Temporis vero successu, cum intestinis omnia dissidiis in dicto Angliæ Regno fluctuarent, & novarum opinionum fervor, antiquæ Religionis cultores profligasset, Vos quidem resolutione generosa tempestatem illam prudenter declinādo, voluntariam è Patria secessionem fecisse, variisque Christiani Orbis Regionibus cum fructu peragratis, fortunarum vestrarum jacturam magno excelsoque animo in lucro reputasse, interim in tot ærumnis atque molestiis diuturnis à præclaris majorum vestrorum vestigiis, ne levi quidem motu deflectere, sed ex quo tempore Florentiæ (donec melioris fortunæ spes adfulgeat) sedem fixistis, ob singularem vitæ, morumque integritatem, prudentiam, rerum usum, raras & ingeniosas in-

ventiones, non modo Magno Hetruriæ Duci, Affini & Principi nostro chariſſimo, propius innotuiſſe, verum etiam nominis veſtri famam ad Sereniſſimi Principis Domini Philippi Tertii, Hiſpaniarũ, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem &c. Regis Catholici, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ &c. Nepotis & conſobrini noſtri chariſſimi notitiam perveniſſe. Quorſum accedat peculiare quoddam obſervantiæ ſtudium, quod in noſtra, Sacrique Imperii & Inclytæ Domus noſtræ Auſtriacæ obſequia prolixe reverenterque per literas aliquoties obtuliſtis. in quo laudabili inſtituto nequaquam ambigimus quin deinceps quoque firmiter atque conſtanter ſitis perſeveraturi.

Hiſce, aliiſque de cauſis animum noſtrum merito moventibus, haud committendum duximus, quin familiæ veſtræ præeminentiam, decus & ornamentum, ſimulque noſtram

ſtram erga Vos veſtroſque benigni propenſiq; animi affectionem, non tam ad ampliandam, quam ejuſdem honorem & dignitatem avitam conſervandam (in quo quidem Cæſarei noſtri muneris ac ipſius æquitatis ratio verſari videtur) noſtro teſtimonio comprobatam relinqueremus, quo ſic poſteritas veſtra hujuſmodi gloriæ ſtimulis incitata ad eadem virtutis ſtudia tanto alacrius ferventiuſque contendat. Quapropter ex certa noſtra ſcientia, animoque bene deliberato, ſano & maturo accedente conſilio, & ex poteſtatis noſtræ Imperialis plenitudine, vigore præſentis noſtri Diplomatis, declaramus ſupranominatũ Illuſtrem Robertum Dudlæum Comitem à VVarvvyck, tanquam deſcendentem ab Avo ſuo paterno Iohanne Comite VVarvvyck, libere & inconfiſcabiliter creato Duce Northumbriæ, & ſucceſſive filium ejus primogenitum

Illustrem Don Cosmum, & alios ordine primogenituræ semper observato, ex legitimo ipsius matrimonii fœdere æterna serie procreandos, per universum Sacrum Romanum Imperium & Regna ditionesque nostras hæreditarias, Duces Northumbriæ vocari, scribi, nominari, honorari, atque reputari, eoque titulo tam in judicio quam extra, tam scripto, quam viva voce, nec non in rebus spiritualibus & temporalibus, Ecclesiasticis & profanis, aliisque negotiis & actionibus quibuscunque uti & ab aliis decorari posse & debere. Quam tamen declarationem nostram non alio sensu intelligi volumus atque decernimus, quam ut unicuique suum tribuatur, & debita honorum ornamenta Principi exuli, etiam in Sacro Romano Imperio, aliisque terris & provinciis nostris sarta tecta conserventur.

Mandamus itaque universis & sin-

ſingulis Electoribus, aliiſque Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, militibus, nobilibus, clientibus, Capitaneis, Vice-Dominis, Præfectis, Caſtellanis, Locum tenentibus, Officialibus, Heroaldis, Caduceatoribus, Burgimagiſtris, Iudicibus, Conſulibus, Civibus, & generaliter omnibus & ſingulis noſtris ac Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Provinciarum noſtrarum hæreditariarum ſubditis atque fidelibus dilectis, cujuſcunque dignitatis, gradus, ordinis & conditionis exiſtant, ut Vos Robertum Dudlæum, Comitem à VVarvvyck, veſtroſque ſucceſſive hæredes maſculos, Duces Northumbriæ agnoſcant, eoq; titulo nominent, compellent, reputent, & tam ſcripto, quam nuncupatione verbali honorent, & ne quid per alios in contrarium attentetur, pro viribus prohibeant,

hibeant, atque avertant. Est enim hæc seria mens atque voluntas nostra Cæsarea, cui omnes prompte obtemperaturos clementer confidimus, quatenus indignationem nostram gravissimam aliasque pœnas arbitrarias evitare voluerint.

Quod literis hisce patentibus, manu nostra subscriptis, & Aureæ nostræ Imperialis Bullæ typario firmatis, palam facere voluimus. Datum in Civitate nostra Vienna, die nona mensis Martii, Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo, Regnorum nostrorum, Romani primo, Hungarici secundo, Bohemici vero tertio.

II. Di-

II.

Diploma
INVESTITVRÆ PRIMÆ CÆSAREÆ,

Qua Dignitas Electoralis Palatinica, Maximiliano Bavariæ Duci soli, sine mentione hæredum confertur.

FERDINANDVS II. Quanquam ex innata bonitate & gratia Cæsarea inclinatissimus, omnibus ac singulis Nostris ac Sacri Romani Imperii subditis ac fidelibus, clementiam nostram Cæsaream impertiri, id tamen in ipso effectu iis evidentius testari cupimus, qui nobis ac Sacro Romano Imperio tanquam proxima membra ejus onera & curas continuis fidelibusque officiis ferre juvant, quique hac in re singularem & spontaneam diligentiam præbent ac demonstrant.

Cum

Cum itaque XXIX Ianuarii Anni penultimi M DC XXI Fridericum Comitem Palatinum Rheni, & tunc temporis Electorem; veluti præcipuam originem & ductorem earum in duobus proxime præteritis annis susceptarum adhuc usque continuatarum detestabilium periculosarumque Rebellionum, quarum similes antehac in Sacro Imperio Germanico nunquam auditæ, visæ, nec lectæ fuerunt, postquam omnis generis fideles ac paternas dehortationes, admonitiones & exhortationes, ut salutaribus Sacri Imperii Constitutionibus se submitteret, contemsisset; ex officio & potestate nostra Cæsarea proscripserimus, ac in nostrum ac Sacri Romani Imperii Bannum publice denunciaverimus, eumque Electoratu Palatinico, ac Archidapiferiæ officio & Electorali munere, aliisque suis Principatibus, ditionibus, Regalibus, feudis, digni-

tatibus,

tatibus, Dominiis ac juribus, quæ à Nobis & Sacro Romano Imperio possesserat, sicuti jure convenit privaverimus, deposuerimus, & exequi curaverimus: Serenissimus vero & Celsissimus Princeps Maximilianus utriusque Bavariæ Dux, de Nobis ac Sacro Imperio optime promeritus sit, dum toto tempore supradictarum rebellionum, Nobis, tanquam supremo capiti, Cæsari ac Domino læso & offenso, debita fide, continua obedientia ac cum spontaneo vitæ, bonorum, sanguinis, propriarumque Ditionum ac subditorum suorũ discrimine, fortiter & feliciter præsto, atque cum aliorum fidelium ac obedientium Electorum, Principum & Ordinum ope ac subsidio, in recuperandis hæreditariis nostris Regnis, provinciisque hæreditariis, auxilio fuerit, dictumque Proscriptum & Bannitum cum cæteris suis complicibus, virtute Cæsarei nostri mandati

sine

fine mora profequutus & adverfus eorum exercitus variis in locis prope Moldaviam, Rhenum, Neccarum, ac Mœnum, Divina clementia victoria potitus fit, nec nunc quoque quicquam laboris, fedulitatis, curarum & expenfarum ad convenientem Cæfaream noftram fublimitatem confervandam, dictofque Profcriptum & Rebelles exterminandos, & ad Nos, & fupramemoratos obfequiofos Electores, Principes, & Ordines in fuis neceffitatibus & calamitatibus adjuvandos, in fe defiderari patiatur.

Ideo his & aliis pluribus ponderofiffimifque de caufis, fimul cum ex Electorali Profapia & Domo Palatina fit oriundus, Electoratum Palatinicum, Archidapiferiæ officium, ut & Vicariatum, Seffionem, Votum & Electionem, quæ per dictum Profcriptum Fredericum Comitem Palatinum in commiffum ceciderunt, Suæ dilectioni (Ducis Bava-

Bavariæ ſcilicet) clementiſſime conceſſimus & tradidimus ; eique de his realem Inveſtituram impertiti ſumus ; Hac tamen lege & modo, ut dicta Inveſtitura neque Nobis ac Sacro Imperio, neque dicti proſcripti Friderici Comitis Palatini Liberis & Fratri Ludovico Philippo Comiti Palatino, neque Cognato & Affini noſtro VVolffgango VVilhelmo Comiti quoque Palatino, cæteriſque Agnatis, & omnibus aliis, in ſuæ reſpective aggratiationis, prætenſique juris, quantum cuilibet convenit, præjudicium ſit, verum ea prætenſa jura & privilegia iſtis reſervata, ac quam primum fieri potuerit, vel amicabili compoſitione, vel per ordinarium proceſſum juris coram Nobis & Electorali Collegio, deciſa & determinata eſſe debeant.

Quæ quidem omnia, ut ante memorata ſunt, facimus, tradimus, & impertimur ſæpedicto Cognato &

Affini nostro Maximiliano Bavariæ Duci, ex plenitudine potestatis Cæsareæ, scientes, & vigore harum literarum. Atque ponimus; statuimus & volumus, ut dictus Dux à nemine impeditus, memorata Regalia & feuda Electoratus Palatinici & Archidapiferiæ officii, cum cohærentibus, Vicariatu, Iure, Sessione, Voto & Electione, possidere, frui, uti & administrare possit ac debeat.

Sæpe memoratus vero Cognatus & Affinis noster Maximilianus Dux Bavariæ in propria persona promisit & juravit, se ob memorata Regalia & feuda, Nobis ac Sacro Imperio fidelem, obedientem & præsentem futurum, ac Nos pro legitimo & naturali suo Domino agniturum, officia præstiturum atque facturum, sicut Electorem, Principem & Vasallum Sacri Imperii decet, absque fraude.

Omnibus itaque ac singulis Ele-

ctori-

ctoribus, Principibusque Ecclesiasticis & sæcularibus &c. in Imperio, serio & severe hisce literis mandamus ac volumus, ut dicto Duci Bavariæ in hac nostra Investitura, supra memorato modo ei concessa, impedimento aut obstaculo nullo modo sint, verum suam Dilectionem ista frui uti, ac in ea quiete permanere sinant, neque contra hæc quicquam agant, aut cuiquam agere permittant; Quantopere quisque nostram ac Sacri Romani Imperii gravem indignationem, ut & pœnam quoq; mille marcarum auri puri, (quas unusquisque quoties adversus hæc temere fecerit dimidium in Nostrum ac Sacri Imperii fiscum, alterum dimidium vero dicto Duci, absque ulla remissione solvere tenebitur) evitare cupit.

In hac memoratæ Investituræ impertitione Nobis adfuerunt Reverendissimi, Serenissimi & Celsissimi Iohannes Suickardus Archiepi-

ſcopus Moguntinus, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius; & Ferdinandus Archiepiſcopus Colonienſis, Epiſcopus Leodienſis, Hildesheimenſis, Monaſterienſis, Paderbornenſis & Stabli, Præpoſitus Bertolsgadienſis, Comes Palatinus Rheni, Dux utriuſque Bavariæ, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius; Paris Archiepiſcopus Salisburgenſis, Sedis Romanæ Legatus; Albertus Epiſcopus Ratisbonenſis; Albertus Comes Palatinus Rheni, Dux utriuſque Bavariæ; & Ludovicus Landgravius Haſſiæ, Comes Catimeliboci, Ditziæ, Zigenhaim & Niddæ, &c. cum ejus filio Georgio Landgravio, &c. Dilecti noſtri Nepotes, Cognati, Affines, Electores, Principes, & Devoti, &c. ut & etiam præſentes Legati Electoris Trevirenſis, cum aliis quam plurimis Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Equitibus & Miniſtris.

In

In quorum fidem, has propria manu ſubſcripſimus, & cum appenſione Aureæ noſtræ Bullæ expediri curavimus. Quæ dabantur in noſtra ac Sacri Romani Imperii Civitate Ratisbona; Die xxv Februarii Anno CIↃ IↃC XXIII.

III.

COLLATIO TITVLI

DVCIS.

NOs Ferdinandus II, gratia Dei electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, &c. (*titulus major.*) Literis hiſce, noſtro noſtrorumque in ſacro Imperio ſucceſſorum nomine, palam teſtamur, cunctiſque notum facimus: Quamvis ſublimitas Romanæ Cæſareæ Majeſtatis, tam quoad colluſtrationem magnitudinis, quam pro neceſſitate ornamentorum ſacri Romani Imperii, per fulgentiſſimi throni

ſui vigorem hactenus Ducum, Principum, cæterorumque nobiliſſimorum Statuum familiis exornata eſt: has tamen per humanam mortalitatem nonnunquam acceidi. Et, quo majoribus dignitatibus Cæſarea Majeſtas familias hujuſmodi, ſecundum earum vetuſtatem, virtutes atque merita, inſtruit & donat, eo excelſiorem & magnificentiorem dictæ Majeſtatis thronum reddi; ipſoſque ſubditos in agnitione Cæſareæ Majeſtatis, & debitis obſequiis, contineri, & ad heroïcas virtutes, ad ingenuas & equeſtres actiones, & continuam fidelitatem excitari & informari. Præterea, quamvis nos, inſtinctu talis Majeſtatis noſtræ, in quam Omnipotens Nos collocavit voluntas, inſtinctu item inſitæ Nobis manſuetudinis & clementiæ, ad honorem, dignitatem, emolumenta, addictorum Nobis, & ſacro Imperio, noſtriſque hæreditariis Regnis, Principatibus,
ac

ac Ditionibus, summorum infimorumque Statuum & Membrorum considerandа & promovenda nunquam-nõ proclives sumus: nostram tamen Cæsaream Magnanimitatem merito ad tales in honoribus ac statu exaltandos potissimũ propendere, quorum majores, ut & hĩ ipsi, ex vetustis inclytisque prosapiis oriundi sunt, quique erga nostras in Imperio prædecessores, Imperatores, & Archiduces, erga hæreditaria nostra Regna & Ditiones, erga Nos, erga sacrum Imperium, & inclytam Austriacam Domum, tam belli quam pacis temporibus, singularem fidem, fortitudinem, obsequia, promptissimi & indefessi comprobarunt. Quas ob caussas quoque Nos annis aliquot ante elapsis permotos fuisse, ut inclytum N., eoque defuncto filium ejus natu maximum, ceu futurum Principatus N. possessorem, atque ita porro, de hærede ad hæredem ex

dicti N. descendente linea progenitum, eos perpetim qui nominatum Principatum N. possidebunt & regent, propter multifaria acceptissima, fidelissima, sincera, & heroïca, proficuaque obsequia, pacis ac belli tempore inclytis nostris antecessoribus, Imperatoribus, & Regibus, nostræque Domui Austriacæ, ut & Nobis ipsismet contra nostros publicos hostes ac rebelles, magno successu & heroïca fortitudine à dicto Principe N. præstita, in nostrorum & sacri Imperii Principum ordinem, honorem ac dignitatem, abinde in perpetuum, clementissime eveheremus, & collocatemus.

Posteaquam veto hujus ipsius Principis industria per talem Cæsaream gratiam & exaltationem ad majorem adhuc fidem ac sinceritatem, ad devotissima obsequia in Nos, in sacrum Imperium, & nostram Austriacam domum, facto ipso

ipſo teſtandam, provocata & excitata fuit: idcirco Nos, ex ſupra expoſitis, aliiſque adhuc gravioribus cauſſis, dicto noſtro dilecto Principi N., & poſt ejus obitum filio ipſius natu maximo, ceu futuro poſſeſſori dicti Principatus N., & deinceps ab hærede ad hæredem ex illius deſcendente linea prognatũ, eis perpetim, qui nominatum Principatum N. propter primogenituræ jus poſſidebunt atque regent, etiam hanc ſingularem gratiam conceſſiſſe, ut eos deliberato animo, maturo conſilio, rectaque notitia, præ cæteris ipſius liberis, ante in Principum ſtatum evectis, ſicuti commemoratum, nunc & deinceps Ducum prærogativa dignari, in Ducum ordinem ac dignitatem extollere & collocare proprio motu voluerimus. Quem noſtrum dilectum Principem N., una cum omnibus ipſius in ſucceſſione & regimine dicti Principatus ſecuturis legitimis

hæredibus liberis, Nos Ducum reliquorum in sacro Imperio & nostris hæreditariis regnis ac ditionibus prærogativa & honore dignamur, in eorumque ordinem ac dignitatem hisce extollere & collocare: Cæsarea potestate & perfectione, scienter, & vigore harum, eos conjungendo, æquiparando, & associando modo memorato Ducum collegio ac societati: volendo, ut dictus jam primum Dux N., ejusque hæredes qui dicta ratione Principatum N. possidebunt, præter illos titulos & prædicata, quæ supra commemorato Diplomati pro collatione tituli Principalis impertito inserta fuere, Duces N., quod dictum, perpetuo & in omne ævum esse; se istoc titulo supra & juxta cæteros expressos Principales aliosque bene & cum laude acquisitos titulos nominare, inscribere; à Nobis nostrisque successoribus in Imperio, denique ab universis ac sin-

ſingulis pro talibus haberi, agnoſci, coli, nuncupari, & inſcribi; omnia quinetiam ac ſingula beneficia, privilegia, honores, dignitates, prærogativas, præeminentias, emolumenta, jura & juriſdictiones, una cum beneficiis in ſuperioribus inferioribuſque diœceſibus, eccleſiaſticis ac ſæcularibus feudis & præfecturis, in conventibus & ludis equeſtribus ſuſcipere, obire, aliaque omnia obtinere & participare; his denique cunctis, præcipue vero conceſſo jam titulo & nomine Ducali N., in ſeſſionibus, in votis, in proceſſionibus, ubique locorum & apud omnes, ſummo cum honore, & prouti par erit, eorumque neceſſitas, voluntas, ac beneplacitum feret, gaudere, uti, frui, debeant ac poſſint: eo plane modo, quo omnes ac ſinguli ſacri Romani Imperii, noſtrorumque hæreditariorum regnorum atque ditionum Duces, de jure & conſuetudine gaudent, utun-

utuntur, ac fruuntur: nemine prohibente: hac tamen cum distinctione, ut is tantummodo, qui regimini nuncupati Ducatus N. præerit, eoque defuncto filius natu maximus, Dux N. vocari; cæteri vero fratres & descendentes, non regentes, Principali titulo acquiescere debeant.

Iuxta hæc itaque per Imperium, perque nostras hæreditarias Ditiones, (*per longum &c.*) serio ac strincte mandamus; Et volumus, Vt sæpe jam nominatus dilectus noster Dux N., & omnes illius in regimine dicti Ducatus N., tam ex linea descendente, quam post hanc extinctam alii successores, vigore Dispositionis hujus pro eis institutæ, uti supra exprimitur, dehinc perpetuo, non minus quam alii in sacro Romano Imperio reliquisq; nostris hæreditariis regnis ac ditionibus Duces, pro Ducibus N.: reliqui autẽ legitimi hæredes liberi, & eorum hære-

hæredis hæredes, mares & fœminæ, descendentis lineæ, qui jam nati sunt, nascenturve, primogeniti tamen non sunt; &, post extinctam modo lineam, fratres Ducis N., qui, secundum commemoratæ Dispositionis tenorem, in Ducatu N. successisset, licet Ducatum N. neque regant, neque possideant, perpetuo in posterum pro nostris & Imperii Principibus & Principissis, in quibusvis honorificis conventibus, equestribus ludis, superioribus & inferioribus diœcesibus ac præfecturis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, & alias ubique, colantur, admittantur, habeantur, & agnoscantur: ipsis quinetiam dicto sensu respective Ducum Principumve titulus ac nomen tribuatur, quo tales nuncupentur atque scribantur: honos eorum autem, dignitasque, præeminentia, privilegia, jura, jurisdictiones, quibus, ut cæteri sacri Romani Imperii, nostrorumque regno-

regnorum & terrarum Duces, Principes, & Principissæ, de jure & consuetudine gaudent, utuntur, ac fruuntur, incorrupta & in omnibus salva conserventur; nec in ullo eorum, quæ commemorata sunt, obstacula habeant vel offendantur; neve contra ea quidquam delinquatur, aut aliis, quod delinquant, permittatur, nullo pacto, nullaque ratione; siquidem nostras & Imperii gravissimas ingratias & pœnas, mulctam insuper bis mille marcarum auri puri, evitare consultum videbitur. Cujus mulctæ, quotiesquoties contumaciter aliquis contra hæc deliquerit, dimidiam partem Nobis in nostram & Imperii Cameram; reliquam pluries dicto Duci N., ejusve legitimis hæredibus liberis, prout intellectum, qui in talibus læsi fuerint, absque ulla remissione dependere damnas esto: nihilo tamen minus posthac quam antea, sæpe nominato

nato Duci N., & ejus hæredibus, hæredumque hæredibus, Ducalis & Principalis honor, status, dignitas, & privilegia, salva & illæsa manento, factoque ipso defenduntor & proteguntor. Hujus Ducis ac Principis Diplomati huic, ceu veritatis tesseram, auream nostram Cæsaream Bullam appendi fecimus, dato &c.

IV.

COLLATIO TITVLI PRINCIPIS.

NOs Ferdinandus II, &c. His literis, nostro, nostrorumque in sacro Imperio successorum nomine, palam testamur, cunctisque notum facimus: Quamvis sublimitas Romanæ Cæsareæ Majestatis, tam quoad collustrationem magnitudinis, quam pro necessitate ornamentorum sacri Romani Imperii, per

per fulgentissimi throni sui vigorem, hactenus Principum & Statuum quam nobilissimis familiis exornata est: has tamen per humanam mortalitatem nonnunquam acceidi. Et, quo majoribus dignitatibus Cæsarea Majestas familias hujusmodi, secundum earum vetustatem, virtutes atque merita, instruit & donat, eo excelsiorem & magnificentiorem dictæ Majestatis thronum reddi; ipsosq; subditos in agnitione Cæsareæ Majestatis, & debita obedientia, contineri, & ad heroïcas virtutes, nobilitatis officia, & continuam fidelitatem, excitari & informari. Præterea, quamvis Nos, instinctu talis Majestatis nostræ, in quam Omnipotentis Nos collocavit voluntas, instinctu item insitæ Nobis mansuetudinis & clementiæ, ad omnium ac singulorum Nobis sacroque Imperio addictorum, superiorum pariter, & inferiorum Statuum, atque Membrorum honorem,

norem, dignitatem, incrementa, & emolumenta considerandа & promovenda nunquam-nō proclives sumus: nostram tamen Cæsaream Magnanimitatem merito ad eos in honoribus ac statu exaltandos potissimum propendere, quorum majores, ut & hi ipsi, ex vetustis inclytisque stemmatibus oriundi sunt, quique erga nostros in Imperio prædecessores, Romanorum Imperatores & Reges, erga Nos, erga sacrum Imperium, nostramque inclytam Austriacam Domum, tam belli quam pacis temporibus, præ aliis sese promptos & indefessos exhibuerunt. Quandoquidem ergo clementer animadvertimus, respeximus,& consideravimus pervetustum &c. (*Sequuntur merita.*) Idcirco,ex enumeratis pluribusque aliis caussis; post clementissimam recognitionem generis prælustris & pervetusti Comitis ab N., & eorum, necnon hujus ipsius, laudabi-

liter acquisitarum virtutum, & Nobis totique Romanorum Imperio exhibitorum fidelissimorum obsequiorum; Nos, probe deliberato animo, vero & maturo consilio, recta notitia, nominatum jam Comitem ab N. singulari hac gratia Cæsarea ex proprio motu affecisse; eumque, non solum quidem, sed, post obitum, etiam maximum natu filium ejus, atque sic porro semper natu maximum, in descendente linea legitime procreatum, Comitem ab N., in statum, honorem & dignitatem nostrorum ac sacri Imperii Comitum Principum noviter clementer evexisse, & collocavisse, & collegio ac societati aliorum nostrorum & sacri Imperii Comitum Principum conjunxisse, sociavisse, & æquiparavisse; &, ut titulus ac nomen Comitum Principum, ac in specie prædicatum *Celsissimorum*, una cum reliquo titulo & dignitate nostrorum ac Imperii Prin-

Principum, ipsis daretur, & ab ipsis gereretur, seque *Dei gratia* tales scriberent & nominarent, clementer concessisse & indulsisse: Et ex Romanæ Cæsareæ Majestatis potestate & perfectione, scienter, & vigore harum, ordinare & constituere, ut supra dictus Comes ab N., eoque defuncto filius ejus natu maximus, ac porro quotuscunque ex istac linea descendẽs maximus natu Comes ab N., legitime natus, uti intellectum, in statum, honorem & dignitatem nostrorum & sacri Imperii Comitum Principum, modo commemorata ratione referatur, collocetur, iis æquiparetur, & eorũ collegio & societati associetur: Simulque illis impertiisse & attribuisse, præter jam acquisitos honores ac titulos, nomen & titulum nostrorum ac sacri Imperii Comitum Principum ab N., & in specie prædicatum *Celsissimorum*, juxta titulum statumque nostrorum &

Imperii Principum; adeo etiam, ut se *Dei gratia* tales scribere debeant & possint: Et consequenter decernere, statuere, ac velle, ut sæpe dictus Comes ab N., & post eum relictus filius ejus natu maximus, ac deinceps omnes ipsius hæredum hæredes, uti constitutum, continuo & semper nostri & sacri Imperii Comites Principes esse; eo sese cõmemorato prædicato, titulis ac dignitatibus, supra & juxta pristinos beneque & cum laude acquisitos titulos, nominare & scribere; à Nobis & nostris in Imperio successoribus, aliisque omnibus & singulis tales haberi, agnosci, coli, vocari, ac inscribi; universa quinetiam beneficia, privilegia, honores, dignitates, prærogativas, præeminentias, emolumenta, jura, & jurisdictiones, una cum beneficiis in superioribus inferioribusque diœcesibus, ecclesiasticis ac sæcularibus feudis & præfecturis, in conventi-

bus

bus & equestribus ludis, suscipere, obire; aliaque omnia obtinere, & participare; his deniq; cunctis, præcipue vero Principali Principumpumque Comitum titulo ac nomine, in sessionibus, in votis, in processionibus, ubiq; locorum & apud omnes, summo cum honore, prouti par erit, eorumque necessitas, voluntas ac beneplacitum feret, gaudere, uti, frui, debeant ac possint: eo plane modo, quo alii nostri & sacri Imperii legitimi Principes Comites de jure & consuetudine talibus gaudent, utuntur, ac fruuntur: nemine prohibente.

Iuxta hæc ergo, omnibus ac singulis Electoribus, Principibus, ecclesiasticis ac sæcularibus Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dynastis, Equitibus, Militibus; terrarum juxta Marescalcis, & Colonellis, atque Satrapis; Centurionibus, Vicepræpositis, Præfectis, Curatoribus, Administratoribus, Officialibus, ter-

rarum Iudicibus, Prætoribus, Consulibus, Scabinis, Consiliariis, Civibus, Communitatibus; denique omnibus aliis nostris & Imperii, etiamque hæreditariorum Regnorum, Principatuum atque Ditionum nostrarum Subditis atque Fidelibus, sint cujuscujus dignitatis, status, conditionisve, serio & stricte presenti diplomate mandamus; Volumusque; Ut toties dictum Comitem Principem ab N., ejusque legitimos natu maximos descendentes liberos mares, quemadmodum expressum, in posterum perpetuo, ubique locorum, & apud omnes, in omnibus honorificis conventibus, ludis equestribus, superioribus inferioribusque diœcesibus ac præfecturis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, ceu nostros & sacri Imperii Principes & Principales Comites habeant, colant, scribant, recipiant, compellent, agnoscant, admittant; iis quinetiam

nomen & titulum Principum Comitum, quo dictum est modo, attribuant; illos ita compellent atque inscribant; ut,& omnes ac singulos honores,dignitates, præeminentias, prærogativas, jura, & jurisdictiones, quibus alii Principales Comites de jure & consuetudine gaudent, utuntur, & fruuntur, iis integra & salva conservent; nec in ullis commemoratorum obstaculo sint, offendantve; nihilque contra ea delinquant, aut aliis,quo delinquere possint, permittant, nullo pacto,nullaq;ratione;siquidem nostras & Imperii gravissimas ingratias atque pœnas, mulctam insuper ducentarum marcarum auri puri, evitare consultum videbitur. Cujus mulctæ, quotiesquoties contumaciter aliquis contra hæc deliquerit, dimidiam partem Nobis in nostram & Imperii Cameram; reliquam pluries dicto Principi Comiti ab N., semperve viventi natu ma-

ximo Comiti ab N., in descendente linea, quod jam non semel intellectum, qui in talibus læsi fuerint, absque ulla remissione dependere damnas esto: nihilo tamen minus sæpe nominato Principi Comiti ab N., & ejus natu maximo hæredi filio, hæredisque hæredi, masculis, Principis & Comitis honor atque status, dignitas, & privilegia, salva & illæsa manento, factoque ipso defenduntor & proteguntor.

In harum fidei firmamentum auream nostram Cæsaream Bullam huic Diplomati appendi fecimus; dato &c.

V.

COLLATIO TITVLI

COMITIS.

NOs Ferdinandus II, &c. His literis, nostro, & nostrorum in sacro Romanorum Imperio, cæterisque

riſque noſtris Regnis hæreditariis, Principatibus, & Ditionibus, ſucceſſorum nomine, palam teſtamur, cunctiſque notum facimus: Quandoquidē ſublimitas Romanæ Cæſareæ Majeſtatis, in quam Omnipotens, juxta paternam providentiam ſuam, Nos deſtinavit & collocavit, per fulgentiſſimi throni ſui vigorem, quam plurimis præſtantiſſimis nobiliſſimiſque familiis & ſubditis exornata eſt: adeo ut, quo majoribus honoribus, dignitatibus, beneficiiſque, vetuſtiſſimæ nobiliſſimæque familiæ, ſecundum earum nobiles & conſpicuas proſapias, virtutes, & merita, donantur, eo excelſior hæc ipſa Cæſarea Majeſtas appareat; ipſiq; ſubditi agnitione Cæſareæ Clementiæ, ad debita, atque etiam majora obſequia, ad heroïcas & incorruptas virtutes, ad fidelem, firmam, & continuam operam invitentur & incendantur: Quamvis item, dictæ modo Cæſa-

reæ Majeſtatis ac Dignitatis, & inſitæ Nobis manſuetudinis ductu, ad univerſorum ac ſingulorum, Nobis, & ſacro Imperio, & commemoratis noſtris hæreditariis Regnis, Principatibus, & Ditionibus ſubditorum ac fidelium honorem, dignitatem, incrementa & fælicitatem conſideranda & promovenda nunquam-non proni ſumus: Longe tamen vehementius, nec immerito, affici & delectari animum noſtrum Cæſareum, ſi poſſimus gratiam & favorem noſtrum iis impertire, & eorum nomen atque ſtemma in altiorem honorem ac dignitatem extollere, ac ſingulari Cæſarea gratia noſtra & privilegiis illos donare, quorum majores, ut & illi ipſi, ex vetuſtiſſima, celſa & præluſtri proſapia nati & orti ſunt, quique in incumbente Nobis, & ſacro Imperio, ac noſtris hæreditariis Regnis, Principatibus ac Ditionibus, præcipue vero noſtræ

ſtræ inclytæ archiducali Domui Auſtriæ, onere gerendarum rerum & negotiorum, fidiſſima obſequia, operamque, prompte & conſtanter exhibuerunt, & inſuper ſupra alios magna ſagacitate, ſollertia, & prudentia præditi ſunt; ut adeo noſter, & ſacri Imperii, cæterorumque noſtrorum hæreditariorum Regnorum, juxta dictam inclytam noſtram archiducalem Domum Auſtriæ, honor, emolumenta, dignitas, fælicitas, & incrementa, per talium experientiam, fidelem ac utilem operam adaucta, illuſtrata, amplificata, promota, & conſervata fuerint.

Nos ergo clementer reſpicientes, animadvertentes, & conſiderantes pervetuſtam, nobiliſſimam, & heroum æmulam &c. (*ſequuntur merita* &c.) quæ & quotidie adhuc præſtat, & in poſterum nihil minus præſtare, ſumma cum obedientia pollicetur, prouti præſtandi

facul-

facultatem citra obstacula amplam habet, & præstare tenetur; & ex supra dictis, aliisque pluribus, Cæsareum ac Regium animum nostrum rationibus moventibus; & hujusce pervetustæ prosapiæ, Baronum ab N., preclara & celebria merita, prolixamq; & fidam operam clementissime recognoscentes; probe deliberato animo, sano consilio, rectaque notitia, supra nominatum Baronem ab N. hac affecisse gratia, qua ipse, una cum omnibus suis viventibus & victuris legitimis hæredibus liberis, tum masculis, tum fœminis, descendentis lineæ, perpetuo & in omne ævum, in statum, honorem, ac dignitatem nostrorum ac sacri Imperii Comitum & Comitissarum extolleretur, collocaretur, & absolute insereretur; eo plane modo, acsi ab atavis suis, tam quoad matris quam patris prosapias, in utraque linea legitime nati Comites vel Comi-

tissæ

tissæ essent. Atque ita Nos efficere, ordinare, introducere, constituere, decernere, ut sæpe dictus ab N., una cum omnibus ejus viventibus & victuris legitimis hæredibus liberis, & eorum hæredis hæredibus, maribus ac fœminis, in descendente linea, uti supra intellectum, ordini, honori, dignitati nostrorum ac sacri Imperii vetustorum Comitum & Comitissarum addantur, æquiparentur, collegio & societati illorum consocientur: Iuxta commemoratum eorum pristinum titulum impertientes illis universim & singulatim, & attribuentes nomen & statum nostrorum & sacri Imperii Comitum & Comitissarum, quo in posterũ Comites sese & Comitissas ab & in N. nuncupent atque scribant: Sancientes, decernentes, & volẽtes, ut sæpe nominatus Comes ab & in N., ut & omnes ejus legitimi hæredes liberi, eorumque hæredis hæredes.

utrius-

utriusque sexus, perpetuo & in omne ævum, nostri & sacri Imperii Comites & Comitissæ sint, ita sese, cum aliquoties commemoratis hæreditario jure acquisitis pristinis titulis suis, nominent atque scribant: à Nobis, nostrisque in sacro Imperio successoribus, Romanorum Imperatoribus & Regibus, ut & ab inclyta nostra archiducali Austriæ Domo, denique ab universis, tum illustribus, tum vulgaribus, pro talibus æstimentur, habeantur, colantur, nuncupentur, & inscribantur: in conventibus & ludis equestribus omnia & singula beneficia, privilegia, honores, dignitates, prærogativas, præeminentias, emolumenta, jura, & jurisdictiones, una cum beneficiis in superioribus inferioribusque diœcesibus, ecclesiasticis & sæcularibus feudis & præfecturis, suscipere, obire; cuncta denique alia obtinere & participare, iisque gaudere, uti, frui debeant ac pos-

ſint, quemadmodum alii noſtri & ſacri Imperii legitimi vetuſtæque proſapiæ Comites atque Comitiſſæ de jure & conſuetudine gaudent, fruuntur & utuntur; nemine prohibente.

Porro, quo ſuprà dictus Comes ab & in N., ſuorum, & majorum ſuorum, Nobis & noſtris anteceſſoribus, Romanorum Imperatoribus, Regibus & Archiducibus Auſtriæ pręſtitorum utiliſſimorum officiorum fructum à Nobis, prouti par eſt, adhuc ampliorem percipiat, noſtramque Cæſaream gratiam, qua illi quam maxime favemus, eo efficacius ſentire poſſit: Nos ei ſequentem ſingularem gratiam & privilegium, bene deliberato animo, ſano conſilio, rectaque notitia, in optima, valentiſſima & firmiſſima forma & modo contuliſſe atque concesſiſſe; & in præſens eandem illi Romana Cæſarea autoritate, abſoluto jure, ſcienter,

&

& harum vigore conferre & concedere; nimirum, ut deinceps à Nobis, noſtriſq; in ſacro Imperio ſucceſſoribus, Romanorum Imperatoribus, Regibuſque, ſæpe nominatus Comes ab & in N., ipſius legitimi hæredes liberi, eorumq; hæredis hæredes, in deſcendente linea, ex omnibus noſtris, & ſucceſſorũ noſtrorum in ſacro Imperio, Domoq; Archiducali Auſtriæ archivis, in noſtris & illorum loquendi formulis, ſcripturis, tabulis, & epiſtolis, aliiſq; libellis, qui à Nobis & ſucceſſoribus noſtris ſeu ad eos ſeu alia ratione amittentur, in quibus mentio illorũ fiet, titulo, prædicato, & axiomate *Generoſiſſimi* afficiantur & ſcribantur; ſicut archivis noſtris, quo hæc omnia obſerventur, jamnunc mandata dedimus & præcepimus.

Iuxta hæc ergo (*ad longum*) per Imperium perque hæreditaria Regna, &c. ſerio & ſtricte præſenti diplomate mandamus, præcipimuſque;

que; Et volumus, Uti toties dictum Comitem ab & in N., omnesque illius viventes & victuros legitimos hæredes liberos, eorumque hæredis hæredes, uti supra positum; ab hoc in perpetuum, ubique locorum & apud omnes, in omnibus ac singulis honorificis conventibus, ludis equestribus, superioribus & inferioribus diœcesibus ac præfecturis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, ceu nostros, & sacri Imperii, aliorumq; nostrorum, juxta inclytam nostram Archiducalem Austriæ Domũ, Regnorum hæreditariorum, Principatuum, & Ditionum, legitime natos vetustos Comites & Comitissas recipiant, habeant, colant, admittant, honorent atque agnoscant; & alias universis & singulis beneficiis, privilegiis, honoribus, dignitatibus, prærogativis, juribus, & jurisdictionibus, absque molestia gaudere, uti & frui sinant; inque horum nullo eos impediant offendantve;

ſed in iis omnibus, hactenus ad longum comprehenſis, Noſtri & Imperii cauſſa, protegant, tueantur, & defendant; & in omnibus illæſos conſervent; neque contra hæc talia ullatenus delinquant, neu, ut alii delinquant, permittant; nullo pacto, nulla ratione; ſiquidem noſtras & Imperii graviſſimas disgratias atque pœnas, mulctam præterea ducentarum marcarum auri puri, evitare conſultum videbitur. Cujus mulctæ, quotiesquoties contumaciter aliquis contra hæc deliquerit, dimidiam partem Nobis in noſtram & Imperii Cameram; reliquam pluries dicto Comiti ab & in N., liberis ejus legitimis hæredibus, eorumque hæredis hæredibus, qui in talibus læſi fuerint, abſque ulla remiſſione dependere damnas eſto.

In harum fidei firmamentum auream noſtram Cæſaream Bullam huic Diplomati appendi fecimus;

mus; quod datum est in nostra urbe Vienna, &c.

VI.

COLLATIO TITVLI

BARONIS.

NOs Ferdinandus II, (*titulus major.*) Literis hisce, nostro, & nostrorum in Imperio, cæterisque nostris Regnis hæreditariis, Principatibus, & Ditionibus, successorum nomine, palam testamur, cunctisque notum facimus: Quamquam sublimitas Romanæ Cæsareæ Majestatis, per fulgentissimi throni sui vigorem, hactenus nobilissimis & præstantissimis familiis exornata est: Attamē, quoniam per humanam mortalitatem hujusmodi familiæ nonnunquam accenduntur: Et, quo majoribus honoribus ac dignitatibus Cæsarea Majestas familias hujusmodi, secun-

dum earũ ingenuas nobilesq; prosapias, virtutes, atq; merita, instruit & donat, eo augustior & magnificentior redditur thronus dictæ Majestatis; ipsiq; subditi non solum in agnitione Cæs. Clemẽtiæ, & debitis obsequiis continentur, sed etiam ad nobiles virtutes, ingenua, heroicaq; facinora, deniq; ad fida & continua officia provocantur: Et, quamvis Nos, instinctu talis Majestatis Cæsareæ, in quam Omnipotentis Nos collocavit voluntas, instinctu item insitæ Nobis mansuetudinis & clementiæ; ad omnium ac singulorũ, nostrorum, ac sacri Imperii subditorum & fidelium honorem, dignitatem, incrementa & statum considerанda & promovenda, clementer proni sumus: Vehementius nimirũ, nec immerito, delectari animum nostrum Cæsareum, si possimus eorum nomen, & prosapiam in altiorem honorem & dignitatem extollere & collocare, quorum status atq;

con-

conditio vetustissimam, nobilem & ingenuam originē habet, quique in incumbente Nobis rerū gerendarum onere fidissimam suam & obedientissimā operam præ aliis semper & constanter exhibuerunt, nec unquam, tam belli quam pacis tēporibus, corpori, fortunis, sanguini ac viribus quidquam parcentes, ad magnifica obeunda munera & cōmissiones segnes fuere. Clementer ergo respicientes, animadvertētes, & considerantes pervetustam, nobilem, ante aliquot centenos annos celebratissimam, heroum æmulam familiamNobilium ab N: (*sequuntur merita* &c.) & ex supra dictis, aliisq; pluribus haud contemnendis rationibus, merito adhuc vehementius Nos permotos fuisse ad nostro nominato deputato Colonello ab N. has faciendum Cæsareas Regiasque gratias nostras, quibus à Nobis, bene deliberato animo, sano cōsilio, & proprio motu, rectaq; notitia,

commemoratus ab N., una cum legitimis suis hæredibus liberis, eorumque hæredis hæredibus, viventibus & victuris, utriusque sexus, in descendente linea, perpetuo & in omne ævum, in statum, honorem, dignitatem, communionem, collegium, & societatem nostrorum, per sacrum Imperium, & nostra hæreditaria Regna, Principatus & Ditiones, Baronum & Baronissarum extollerentur, referrentur, & absolute insererentur, perinde ac si ab atavis suis, tam quoad matris quam patris prosapias, in utraque linea legitime nati vetusti Barones & Baronissæ essent. Atque ita hoc ipsum Nos efficere, eosque adeo extollere, dignari, inque statum, gradum, honorem, dignitatem, communionem, collegium & societatem nostrorũ per Imperium, & nostra hæreditaria Regna, Principatus, & Ditiones, Baronum & Baronissarum collocare, huic æqui-

parare,

parare, conjungere & associare, in omnibus absoluta autoritate Romanæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, & harum vigore. Statuere quoque, decernere, & velle, ut dictus Colonellus, Baro ab N., viventes ejus & victuri hæredes liberi, eorumque hæredis hæredes, utriusque sexus, in descendenti linea, perpetuo & in omne ævum, hoc nomine, stemmate, familia, nativitate, armis, & clypeis, Barones & Baronissæ sint; seque Barones & Baronissas nuncupent, vocent, scribant; & à Nobis, nostrisque in sacro Imperio, & in cæteris omnibus nostris hæreditariis Regnis, Principatibus, Ditionibus, inclytaque nostra dicta Domo Archiducali Austriæ successoribus, ex omnibus nostris eorumque archivis superioribus & inferioribus, dicto titulo, juxta titulum, prædicatum, & axioma *Nobilium*, ornentur, vocentur, agnoscantur & inscribantur, pro-

que talibus habeantur; unaquæque item beneficia, honores, dignitates, emolumẽta, privilegia, prærogativas, ſtatus, ſeſſiones, vota, proceſſiones, veteres cõſuetudines, dominia, præeminentias, jura, & jurisdictiones, juxta beneficia diœceſium ſuperiorũ inferiorumq;, ac Ordinum tam Eccleſiaſticorũ, quam ſæcularium, in Imperii aliiſq; convẽtibus, equeſtribus ludis, & alias ubiq; locorum, in quibuſlibet liberalibus & equeſtribus negotiis, & ſocietatibꝰ, percipere; tum, & in ſpecie, Nobilium & Baronũ ac Baroniſſarũ feuda & fundos beneficiarios ſuſcipere, obtinere, obire, participare, & habere; atq; hæc ipſa, ut & alia quęquæ Nobilium & Equeſtrium feuda, aliis Baronibus & Equeſtribus elocare; iiſq; univerſim & ſingulatim, in liberalibus & nobilibus, nobili & equeſtri perſona ac Barone cõdignis gerẽdis rebus, & negotiis, quam ſeriis, tam ludicris, in hoſtili impreſſione,

præliis, pugnis, ludis circensibus, duellis, velitationibus, equestribus ludis, expeditionibus campestribus, evocationibus nobilium, seu feudorum lustrationibus, castrorũ metatione, gemmę sub- & obsignatione, cimeliis, sepulturis, picturis, ornamentis, denique ubiq; locorum, & coram omnibus, sive ecclesiasticis, sive sæcularibus, intra & extra forũ, coram Nobis & quibusvis, prouti honoribus eorum par erit, eorumq; necessitas, voluntas, ac beneplacitum feret, gaudere, uti & frui debeant atq; possint; quemadmodum alii nostri, & Imperii, nostrorumq; hæreditariorum Regnorum, Principatuum, ac Ditionum, nobiles Barones & Baronissæ, qui similibus beneficiis & privilegiis à Nobis, nostrisve tum qua Imperium, tum qua cætera nostra regna hæreditaria, & Principatus, atq; ditiones, antecessoribus donati erãt, hujusmodi universis potiuntur, utũtur, & fruuntur;

de jure & consuetudine; nemine prohibente. Ita tamen, ne hæc exaltatio nostra, & amplificatio, Nobis, sacro Imperio, ut & nostris hæreditariis Regnis, Principatibus, & Ditionibus, in jure Magistratus nostri, neu aliis ullis in suo jure vel jurisdictione, detrimentum afferat.

Iuxta hæc ergo (*ad longum*) per Imperium, perque hæreditaria Regna, &c. mandamus; Et volumus; Uti toties dictus Baro ab N., ejusq; legitimi hæredes liberi, utriusque sexus, perpetuo & in omne ævum, instar aliorum Baronum & Baronissarum ab & in N., prædicato & axiomate *Nobilium* inscribantur & nominentur; & ut in quibuslibet liberalibus, magnificis, equestribus gerendis rebus, actionibus, & conventibus, in superioribus diœcesibus, denique in omnibus aliis locis, nullo excepto, pro talibus admittantur, æstimentur, agnoscantur, colantur, & habeantur; & ut uni-

versis

versis ac singulis beneficiis, privilegiis, dignitatibus, prærogativis, consuetudinibus, juribus, & jurisdictionibus, instar aliorum vetustorum in sacro Imperio, inque nostris hæreditariis Regnis, Principatibus, & Ditionibus, Baronum & Baronissarum, sine molestia, nemineque prohibente, frui & uti sinantur; neque ullus contra delinquat, vel aliis delinqui permittat, nullo pacto, nullaque ratione; siquidem nostras & Imperii gravissimas ingratias atque pœnas, mulctam præterea centum marcarum auri puri, evitare consultum videbitur. Cujus mulctæ, quotiesquoties contumaciter aliquis contra hæc deliquerit, dimidiam partem Nobis in nostram & Imperii Cameram; reliquam ante commemorato Baroni ab N., suisve legitimis hæredibus liberis & successoribus, absque ulla remissione dependere damnas esto. Sub firma-

mento

mento harum, appenso Cæsareo nostro sigillo signatarum, datarum, &c.

VII.

NOBILITATIO.

Nos Ferdinandus II, &c. (*titulus major.*) His literis palam testamur, cunctisque notum facimus: Quanquam Romanæ Cæsareæ Majestatis ac Dignitatis, in quam Omnipotens Nos, juxta divinam voluntatem suam, collocavit, & insitæ Nobis mansuetudinis ac benignitatis ductu, ad universorum ac singulorum, Nobis, & sacro Imperio, & hæreditariis nostris Regnis, Principatibus, & Ditionibus subditorum ac fidelium honorem, emolumenta, incrementa, & prosperitatem consideranda & promovenda semper proni sumus: Indesinenter tamen Cæsareum animum nostrum longe vehementius

affici

affici & oblectari, si possimus gratiam & favorem nostrum iis impertire, & eorum statum in adhuc altiorem honorem ac dignitatem collocare, & Cæsareis nostris beneficiis ac privilegiis eos donare & instruere, quorum majores, ut & illi ipsi, ex vetusta, honesta, & ingenua stirpe orti sunt; quique bonis, ac nobilibus moribus, virtutibus & actionibus operam navarunt suam; & Nobis, sacroque Romano Imperio, nostræ item inclytæ Austriacæ Domui, continuis, fidelibus, & constantibus suis obsequiis præ aliis obedientiam suam probarunt.

Clementer ergo respicientes, animadvertentes, & considerantes non solum honestatem, ingenuitatem, nobiles & elegantes mores, virtutes & discretionem, quibus Noster & Imperii dilectus & fidelis N. nostræ Cæsareæ Majestati commendatus fuit, sed etiam fida & obedientissima obsequia, &c.

Ideo

Ideo Nos, probe deliberato animo, ſano conſilio; rectaque notitia, huic N. hanc indulſiſſe gratiam; eumque tali donaſſe privilegio, &, una cum ſuis legitimis hæredibus liberis, eorumque hæredis hæredibus, maribus ac fœminis, pro omni ævo, in Nobilitatis, & noſtrorum, ac in ſacro Imperio, noſtrisque hæreditariis Regnis, Principatibuſque, & Ditionibus legitime natorum equeſtrium, in feudis & ludis circenſibus partem habentium Nobilium ſtatum ac ordinem evexiſſe, ac dignos feciſſe qui Nobiles crearentur, & Nobilitatis collegio & ſocietati adderentur, conſociarentur, & æquipararentur; eo plane modo & ſenſu, quaſi ab atavis ſuis, tam quoad matris quam patris genus, in utraque linea, legitime nati feudorum ac ludorum circenſium conſortes & equeſtribus æquales Nobiles eſſent. In cujus Cæſareæ noſtræ gratiæ & evectionis in

ſtatum

ſtatum & ordinem Nobilitatis majorem confirmationem; fidem & memoriam, Nos ſupra dicti N. priſtinam parmam & inſignia; (quæ nominatim hujuſmodi ſunt; &c.) non modo clementer confirmaſſe & approbaſſe, ſed etiam dictum modo coronatum &c. cancellata liberali & nobili galea auxiſſe, ornaviſſe & perfeciſſe; eique & legitimis ſuis hæredibus liberis, & illorum hæredis hæredibus, utriuſque ſexus, abhinc in perpetuum; hiſce diſcerni & uti, clementer indulſiſſe & conceſſiſſe; quemadmodum nobilis hæc parma & inſignia in medio hoc noſtro Cæſareo Diplomate depicta & coloribus accurate ſunt illuminata. Atque ita Nos dictos noſtros N. extollere, dignari, & in ſtatum ac ordinem Nobilium collocate, & nobilitare; collegio, ſocietati, & communioni noſtrorum, & in ſacro Romano Imperio, cæteriſque noſtris hæreditariis Re-

gnis, Principatibus, & Ditionibus legitime natorum, in feudis & ludis circensibus partem habentium, equestrium Nobilium æquiparare: & heic expressam nobilem parmam, & insignia, quibus ita discernantur atque utantur, absoluta autoritate Romanæ Cæsareæ Majestatis, scienter, & harum vigore, iisdem attribuere & largiri. Quin-etiam statuere, velle, & decernere, ut ab hoc in posterum supra dictus N., ejus legitimi hæredes liberi, horumque hæredis hæredes, mares & fœminæ, perpetuo & in omne ævum, sint legitime nati feudorum ac circensium ludorum consortes, & equestres Nobiles; & tales nominentur; à cunctis, ubique locorum, in quibuslibet actionibus, negotiis, & gerendis rebus, seu ecclesiasticis, seu sæcularibus, pro talibus habeantur, colantur, nuncupentur, & inscribantur: etiam unaquæquæ beneficia, privilegia, honores, digni-

dignitates, prærogativas, jura & jurisdictiones, vetera instituta, bonasque consuetudines servare; ut & beneficia in diœcesibus, superioribus inferioribusve præfecturis atque feudis acquirere, suscipere, obire; cum aliis nostris & sacri Imperii, necnon nostrorum hæreditariorum Regnorum, Principatuum, & Ditionum legitime natis feudatariis Nobilibus, in ludis circensibus equitare; feuda & alios quoslibet juridicatus atque fora possidere, lites cognoscere & deceidere; talia denique, & quascunque alias res, actiones, & negotia, quorum usus Nobilibus antiquitus fuit, ac in posterum esse potest, in & extra forum, ceu digni, participare, occupare, & ad hujusmodi apti, idonei, habiles, & utiles esse; tum & omnibus iis, una cum supra descripta nobili parma & insignibus, in quibusvis honestis, ingenuis, nobilibus caussis, actionibus, & negotiis, feriis,

ludicrisque, in prœliis, hostili impressione, conflictibus, pugnis, ludis circensibus, duellis, velitationibus, ludis equestribus, campestri expeditione, nobilium evocatione, seu feudorum lustratione, castris metandis, gemmæ sub-& obsignatione, cimeliis, sepulturis, picturis, denique ubiq; gentium, prout honoribus eorum par erit, eorumque necessitas, voluntas, ac beneplacitum feret, uti & frui debeant & possint; quemadmodum alii nostri & sacri Imperii, nostrorumque hæreditariorum Regnorum, Principatuum, ac Ditionum legitime nati equestres, feudorum ac circensium ludorum consortes Nobiles universa hæcce obtinent, iis gaudent, utuntur, ac fruuntur, tam de jure, quam consuetudine; nemine prohibente.

Iuxta hæc ergo (*ad longum*) per Imperium, terrasque hæreditarias, &c. serio stricteque, vigore harum, man-

mandamus; Volumusque; Uti sæpe dictus N., ejusque legitimi hæredes liberi, ac horum hæredis hæredes, mares & fœminæ, perpetim & in omne ævum, ceu alii nostri, sacrique Romani Imperii, etiamq; hæreditariorum nostrorum Regnorum, Principatuum, & Ditionum, legitime nati feudorum & ludorum circensium consortes Nobiles, in equestribus ludis, in ecclesiasticis & sæcularibus ordinibus, diœcesibus, & quibuslibet aliis negotiis, recipiantur, ferantur, admittantur, digni æstimentur, colantur; neque in ullo hactenus enumeratorum Cæsareorum beneficiorũ nostrorum, & collationum, non in privilegiis, honoribus, dignitatibus, prærogativis, juribus, jurisdictionibus, consuetudinibus, societatibus, communionibus, vel hac ipsa evectione in ordinem & statum Nobilium, neu quoque supra posita nobili parma & insigniis, obstacula

habeant, offendanturve; sed in quibuslibet nobilibus negotiis & actionibus, intra & extra forum, illis uti, frui, omnino & absque molestia sinantur; neu ullus contra delinquat, vel alii delinqui permittat; nullo pacto; siquidem nostras & Imperii gravissimas ingratias atque pœnas, mulctam præterea N. marcarum auri puri evitare consultum videbitur. Cujus mulctæ, quotiesquoties contumaciter aliquis contra hæc deliquerit, dimidiam partem Nobis in nostram & Imperii Cameram; reliquam pluries dicto N., suisve legitimis hæredibus liberis, eorumque hæredis hæredibus, sine ulla remissione dependere damnas esto: & ita quidem, ne aliis hæc, eamdem, similemve fortasse nobilem parmam & insignia gerentibus, in suis parmis & juribus præjudicio vel damno sint.

Sub firmamento harum, appenso Cæsareo nostro sigillo signatarum; datarum &c.

Finis Diplomatum.



APPENDIX.

HIc insuper auctarii loco observandum, Cæsaream Majestatem in literis suis, Electores Sacri Romani Imperii Ecclesiasticos Reverendissimos, Sæculares vero Serenissimos nuncupare, eosque omnes, ut & Regentem Lotharingiæ Ducem, titulo Vestræ Dilectionis salutare, ac clausulam, quæ in aliis scriptis & decretis Cæsareis subjungi solet, Ad mandatum, (scilicet) Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium, in ejusmodi litteris omittere.

Cæteros sæculares Sacri Imperii de facto, seu reales Principes, ut Comitem Palatinum Neoburgicum, Ducem VVirtembergiæ, & alios &c. Tuam Dilectionem in scriptis vocat; ibique ponitur inferius prædicta clausula, Ad mandatum &c.

Ecclesiasticis Imperii Principibus, ut sunt Archiepiscopi, Episcopi, ac

ac nonnulli Abbates & Abbatissæ, cum nati non sunt Principes, titulum Tuæ Devotionis in literis tribuit, natis vero Principibus Tuæ Devotionis & Dilectionis.

Notandum vero, quod Cæsarea Majestas nulli Archiepiscopo seu Episcopo Imperii, nisi prius vel Investituram, vel ad minimum Indulgentiam aliquam ab eo obtinuerit, titulum Principis tribuat, exceptis iis qui nati sunt Principes.

Comitibus Imperii hunc fere in modum scribere solet: Nobilibus nostris ac Sacri Romani Imperii Comitibus ac fidelibus Dilectis &c. Iis scilicet, qui peculiares honoris prærogativas, seu Decreta Cæsarea majoris tituli, consecuti non sunt.

Civitatibus Imperii: Honorabilibus nostris, ac Sacri Romani Imperii fidelibus dilectis &c. Nobilibus Imperii: Nostris ac Sacri Romani Imperii fidelibus Dilectis, Circuli Imperii Franconici Equestri-

bus ac nobilibus, &c. ac similiter aliis, mutatis mutandis. Eis vero qui Ordinis cujusdam sacri Equites sunt; Reverendis nostris ac Sacri Romani Imperii &c.

Doctoribus: Honorabili & docto, nostro ac Sacri Romani Imperii fideli dilecto, utriusque juris doctori &c. Eundem fere titulum tribuit eadem Cæsarea Majestas Doctoribus Theologiæ Euangelicis.

FINIS.



DA-

DANIELIS EREMITÆ,

BELGÆ,

ITER GERMANICVM.

Sive

Epiſtola ad Camillum Guidium, Equitem ; ſcripta de legatione Magni Hetruriæ Ducis ad Rudolph. II. Cæſarem Auguſtum, & aliquot Germaniæ Principes & Reſpublicas,

ANNO M DC IX.

E mendoſo apographo quam potuit emendatiſſime expreſſa.



CAMILLO GVIDIO, EQVITI, S.

Svperioribus meis causam Germanici itineris & successum Pragam usq; perscripsi. Eo vt venimus, obviam nobis tertio ab urbe lapide Illustriss. Julianus Medices, Magni Hetruriæ Ducis Orator, processit, & non pœnitendo amicorum comitatu in domum suam deduxit. Iussus statim Legatus domi se claudere, & operiri, donec accersitus sponte Imperatoris eveniat; seu cõsuetudine id, seu voluntate Cæsarum invaluit; quiMajestatis quoque suæ interesse putarunt, intemerata cunctatione eorum aditus aperiri. Grave tamen visum est, & parum ex digni-

dignitate Principis nostri; sed tum exempla aliorum, tum fastigium tantæ Majestatis, facile persuasit voluntario nos carceri condemnare. Iamque dies complures admissionis expectatione consumpti; nec adhuc quisquam aderat, qui ejus nomine evocaret: compertumque, ministros, etsi creberrime ad eam rem ab Oratore Juliano interpellatos, nihil unquam de adventu nostro Imperatori significasse; seu naturæ ejus, alioquin ab admissionibus alienæ, supparasitati, seu conducibilius privatæ rei existimantes, aditum reliquis intercludi, dum illi soli aurium Principis potentes, voluntatem ejus ad propriæ utilitatis emolumenta convertant. Quod ut pro vero exploratum universorum testimonium fuit, consilium agitare de discessu cœpimus, &, ne ipso quidem jam Juliano interveniente aut prohibente, ruptis voluntarii carceris vinculis foras ad invisendos amicos

cos exivimus; publicè professi, non convenire, Legatum Magni Hetruriæ Ducis menstrua spatia domi desidere, quo incertam admissionem & levem ad Imperatorem aditum operiatur; tanti non esse gratiam ejus, ut illam imminutione dignitatis suæ, & pudenda cunctatione velut emendicare velit; quia quod sciat ab invito dari, id expectari non debere. Et amicitiam quoque Cæsaris in promiscuo habiturum, cujus sponte oblata pietatis officia spernantur. Hæc clam, nec apud omnes, sed vere elata. Sumebatur obtentui, nolle se Cæsaris ætatem, & turbis civilibus affecti curas, intempestiva admissione onerare: Satis factum officio, quod venerit; quod minus admissus sit, tempori & Cæsari imputandum. Excepit curiosa civitas frequentibus sermonibus consilium nostrũ; &, male jam in Principem affecta, nostram quoque causam ad jus suarum rationum

tra-

trahebat: Iam non ſatis, Imperatorem cives ſuos, ſuos clientes, aditu prohibuiſſe; externorum quoque Principum, quorum adventu pondus & gloria Germaniæ addatur, contemni. Motæ ſunt procul dubio & concuſſæ tam inexpectato conſilio, & vulgi quoque ſermonibus, miniſtrorum mentes: quorum oſcitantiam præterea Excellentiſſ. Baltaſar Zuniga, Regius Hiſpani per Germaniam Legatus, & alii præterea crebra amicorum interpellatione caſtigarunt, Quid enim reliquum fore Imperatorio nomini, ſi Magnus quoque Dux Sabaudiæ repulſam, poſt longam & variam expectationem, juſtiſſimo diſceſſu vindicaverit? quem Italiæ Principum, poſt illios injuriam, Imperatoris gratiam ambiturum? In illo uno omnes contemni; cujus tamen contemptus detrimenta non ad ſolum Cæſarem pertinerent. His & ſimilibus factum, ut eodem, quo diſceſ-

discessum parabamus, die, summo mane adfuerit, qui ire ad Imperatorem juberet. Ivimus; & Coloretus, una cũ Iuliano. Aliquandiu cum illo morati, & ingenti honore excepti, longa admissionis gratia superioris cunctationis molestiã pensaverunt. Et nos quoque, quotquot è comitatu nobiscum erant, introducti manum ultro protendentis officiose osculati sumus; magna cum admiratione eorum, qui jam à multo tempore tantã in Imperatore conspectus sui liberalitatem non viderant.

Aves jam scire, qualem illum, & quo cultu corporis, habitu, viderimus? Ætate aliquanto confectior, sed præmatura & supra annos canities genas & verticem coloravit. Adspectu satis decorus, fronte augusta, & ore non invenusto; oculis lucidis, sed quos hirsuta supercilia pene condant; Caput quoque jam inclinat, senectæ aut naturæ vitio. Statura

tura mediocris, magis depreſſa, quam elata; Ingenitum Auſtriacæ domui, ut fere depreſſioris corporis ſint; Longe tamen ille lateque Imperatorem oſtentat: Veſtis illi antiquum in morem, ex qua nihil mutare, magnitudinis ducit: breve pallium, quod aurea tinea ambit;& braccæ ſubligatæ Hiſpanicum tegmen, ſed jam obſoletum. Stabat ipſe erectus, ad oram menſæ acclivus, & ſic adventantes nos excipiebat.

Iam de moribus quoq; ejus nonnulla haud vereor attexere. Iuventa illi in Hiſpania, & illo Orbis terræ Principum theatro peracta, in abſolutiſſimos mores formata erat: vividum ingenium erectumque illuſtris aula ad moderationem ſimul animoſitatemque compoſuerat: ingens rerum omnium peritia, judicium elimatum, præſtantiſſima deliberatio famam dabant; amorem quoque facilitas, religionis cultus,

morum

morum integritas conciliabant; eoque principia ejus imperii speciosiora & mira, cum Orbis terrarum applausu, fuere: quam inclinationem fortuna quoque ejus domi militiæque prospera augebat, cum in publicum Christiani nominis hostem arma ferendo Imperii terminos ingenti laude propagavit; nec pugnando tantum, sed, quod mirum est, cedendo quoque vicit. Inclinavit postea tam illustris fama diuturnitate; quippe Imperii Principes raro in melius mutantur; ac, bene cœpta dominationis primordia raro eodem fine clauduntur. Parta enim securitate, aut redeunt ad naturam suam, aut mutant, &, veluti fessi bene agendo, aut priorum pertæsi, à se abeunt. Huic virtutum quoque amor vitio fuit, & dum virtutibus nimium indulget, vitia facta sunt. Naturalium investigatione rerum, & ornamentis picturæ ita delectatus est, ut Imperii

quoque curas & negotia Principalis fortunæ earum artium studio condonaret; quibus sensim magis magisque blandientibus, totum se mox mancipavit. Nam & Chymicarum rerum experimenta ipse tentavit, & horologiis componendis ipse assedit, contra quam Principem decuit. A solio Imperatorio in sellam se opificis transtulit: nec semel illud, aut quo amabili insaniæ & vitio curiositatis humanæ satisfieret, sed tam alienissimis studiis indulsit, ut universam illis Reipublicæ tractationem remitteret; à qua prorsus alienus. vix putes meminisse illum se Imperatorem esse. Iam tabularum quoque immoderatum & insatiabile studium; ut non modo, quidquid Orbis haberet eximium, sumptibus & impensis Imperii corraderet, sed & integros dies & continuos pingentibus adsideret; quibus adeo obstinate & invidiose deditus, ut mentem proti-

nus iis infixam nimio eorum delectu imminuerit; eoque velut atra bile & morbo quodam animi correptus, amare solitudinem cœpit, & Palatii sui cancellos sibi quasi carceres circumscripsit. Iamq; ex multo tempore, præter familiares quosdam ministros, vix quenquam, nisi coactus, ad aures suas admittit. Quin eo furor ille processit, ut, tanquam plane jam inops mentis, non levia quotidie ἀνοίας argumenta edat. nam & alto & constanti silentio sæpe à suis notatus, quod nulllus casus interventu rumpatur: &, si quis vel leviter offendat, in eum vasa argentea, & quidquid præ manibus ejus, intentat. Cujus morbi vitio non lenimentum sed augmentum fuit amor mulierum, quas ille ætate & forma commendabiles diligenti cura delectas diligit. Quæ omnia jam olim cœpta ætatis detritæ decursus non remittit, sed auget. Dudumque laborare Respublica &

rerum ordo, velut capite destitutus, labascere cœpit: Ac licet sæpissime fortuna bello Iuraco errorem ex incuria Principis, felicitas corrigeret;nihilominus animi subditorum, jam indignabundi, officium ab illo suum exigebant. Hinc illi tot tantique parentium motus, imperantium metus. male enim fere paretur, ubi male imperatur. Hinc tumultus fere quotidiani, & effrænis male conciliatorum horum audacia, quæ originem nonnisi ab amoribus Principis traxerunt. Nam & frater motis armis invito regna extorsit, & ejus temeritatis felici successu invitati Bohemi ad absurdissimarum conditionum consensum Imperatorem suum adegerunt; sacrorumque suorum libertatem, & ministrorum Regni mutationem, veluti privilegio arbitrariam, obtinuerunt;& quotquot probæ fidei & antiquæ ministri sunt, jam ejectum eunt; scilicet privatis odiis, religio-

nis;

nis; & malignitati, libertatis nomina obtendentes; facili ad omnia Cæsaris consensu, qui nec arma contra movere, aut paucorum supplicio restinguere tam temerarios & seditiosos conatus ausus est. Cum interim illi militem in conspectu Imperatoris sui, quasi ad constringendum, si abnuat, ipsa in urbe, capite Imperii, teneant. Silesii quoque, jam aliorum exemplo, & Cæsaris indulgentia audaciores facti, eadem de religione moliti sunt, & agitant quotidie nova, publice seditiosa, exitiosa privatim; quibus si obviam severitate & supplicio iretur, in authorum omnia perniciem erumperent. Sed ne his quidem stabit malum. In exitium domus Austriacæ, & eversionem priscæ fidei, conspirabitur. Et hac quoque lenitate immane quantum Austriacorum dignitati decessit; cujus fastigium declinat, si eripi Domui suæ majestatem Imperatoriam patiun-
 tur.

tur. & tamen res eo ſpectat, nec tam audacia principia finem niſi in ultima ruina ponent. quod tamen velim fruſtra augurer. Plura de moribus ejus, de actis privatis obſervaram; ſed ea nec tuta ſcribenti, & audienti periculoſa ſunt. Publica ejus geſta annales & hiſtoriæ loquentur.

Ut ab Imperatore dimiſſi ſumus, excepit exeuntes Excellentiſſ. Balthaſar Zuniga, è Comitibus Montis Regii Regis Hiſpaniarum per Germaniam Legatus; vir in quo uno natura omnium virtutum numeros pleniſſime abſolvit. Noſque in Palatium ſuum deductos, exquiſitiſſimo convivii apparatu excepit. Secutus exemplum Illuſtriſſimus Cajetanus, Nuncius Apoſtolicus, vir omni laude major; cujus etſi epulæ lectiſſimis ciborū generibus affatim opulentæ; ſermonibus tamen magni viri conditæ, admirandæ quoq; erant. Nec Landgravius à Leuchten-

tenberg, tanquam ex lege; hoc omisit; pluresque cogitabant, nisi nos vocationes eorum discessu nostro prævenissemus. Ita postridie Praga discessimus.

Sed antequam discedam, volo tibi quoque urbis situm innotescere. Sita ea declivi in valle; quam, variis magnisque ædificiis diffusam, flumen mediam dividit; quod tamen immensus & præclarus opere pons pervium facit: Flumen ipsum placida, sed late luxuriante unda; cujus alveum utrinq; montes amœnissimi, theatri in formam leniter assurgentes, coërcent, quos varii generis arbusta vitesque decorant. In acclivi mõtis Palatia Regum superbis se molibus attollunt; quam & nunc sedem Cæsar habet. è qua Urbis totius undiquaque aspectus patet; quod visu amœnum & superne & inferne aspicienti est. Nulla urbem mænia, nulli muri claudunt; satis se tutam numero civium &

magnitudine putat. nec Reges quoque, tanquam de fide subditorum securi, munimenta ulla aût castella coercendis illis extruxere, cum loci tamen natura ei rei peridonea sit.

Ut Praga discessimus, Dresdam ad Saxoniæ Ducem cogitantes, partem itineris curribus nostris, partem fluminis subsidio confecimus. Et notatæ nobis obiter arces quædã munitæ, in rupium cacuminibus affabre extructæ, in quibus ingenium pro muro, & situs quoq; muniti & eminentes, rursusque introrsum recurrentes, parum humano operi reliquum fecerunt. Pars inferior rupis abrupta; cujus asperitas & invius accessus ipsa difficultate oppugnantes arceret. Ejus generis castella ibidem complura, quibus natura ipsa favisse in defensionem videtur, quæ peridonea propugnaculis loca formavit, ut parum reliquisse industriæ videatur. Dresda quoque ipsa, sedes Principum, haud parum

rum naturæ & præterlabenti flumini debet; etsi ingenti undiquaque vallo mirum in modum munita, ea parte, qua planitiem spectat, nova propugnacula, aptissima dimensione arcendis inferendisque cum utilitate machinarum ænearum ictibus accommoda, ostentat. Vallum aqua, ex flumine tracta, impervium ingruentibus facit.

In id nos oppidum ut venimus, compertum, abesse Principem; qui venatũ multis inde miliaribus abierat. Ab adventu nostro statim aderant Nobiles quidam ejus aulæ, sermonis Italici non imperiti: qui mandatum sibi à Senatu ajebant, nobis quacunq; in re inservire, nec pati quicquam deesse; expeditis interim cursoribus, qui de adventu nostro Duci nunciarent. In quorum reditus expectatione dum versaremur, libuit diuturnæ moræ tædium ambulatiunculis discutere, & lustrare, quæ ibi loci acceperam alios

magna admiratione & inſpexiſſe & ſuſpexiſſe. Ac primo quidem ad equorum Stabulum ducti, quod ingenti ſumptu in auguſtiſſima forma Chriſtianus Primus extruxit. Ad ejus ſane molis aſpectum obſtupuit quiſque & obſtipuit. Aula enim Principis,non equorum, videbatur. Nam & ſuperne atria varia, rerum ſupellectile diverſarũ impleta, quæcunque ad equorum ornamenta pertinerent, non invenuſto ordine digeſta; arma & phaleræ,ſaga militaria, paludamenta,frena,ephippia, auro ſolido aut ſerico intexta, in quibus ars cum natura certabat.nec in tanta rerum varietate vacuum quidpiam aut confuſum; ſuis quæque cameris lociſque diſtincta, oculos viſentium facili & indubia voluptate implebant. Longum eſſet memorare omnia, quorum ſingulis vix memoria ſufficit. Omnium tamen maxime ſumptuoſæ porticus erant, ſub quibus equi diſpoſiti ſuum

ſuum quiſque locum pro ſexu, pro forma, ſortiebatur. Suffulciebant porticum columnæ ingentes vivo ſaxo, è quibus ſingulis fontes aquæ perennis ſcaturiebant. Proximo die in hoplothecam ſeu armamentarium ducti; in quo baliſtæ æneæ, & tormenta bellica multa, ingentia pondere, & arte precioſa; cameræ inſuper ſpatioſæ, omnis generis armorum plenæ, quæ armandis centum millibus ſufficerent. quorum nos non tam numerum quam nitorem ſtupebamus. nihil enim ibi rubedo exederat, nihil pulvere aut ſordibus attinebatur. Mox patuere menſæ & deliciæ Principis, ſed cuivis potius quam Principi factæ, niſi quod hæreditate paterna relictas adhuc pari diligentia fovet. Ea omnium artium feliciſſimis inventis, quibus abundat ea regio, ornata, artem natura, naturam arte decoraverat. Incertumque arti plus in illis quam naturæ tribueret. Omnia impenſa

pensa & precio commendabantur; nobis tum parcius admirantibus, quia id genus deliciarũ Italici Principes studiosius operosiusque conquirunt: sed erat omnino præter expectationem nostram, Germaniæ extremæ incultos mores cœli Latii delicias adspicere.

Octavo tandem die aderant nobiles cum curribus qui Torgaviam nos deducerent; ubi annua Saxoniæ Comitia habebantur; quibus interventurum Ducem ajebant. Credo studio dilatum nostri adspectum, ut inter confertas Comitiorum turbas exceptis augustior ejus Aula appareret. nam ibi quoque triduo ante admissionẽ detenti; dum accersita undique Nobilium manus adventaret. Die illo, quo adituri Principem eramus, omnem familiam suam novis & holosericis vestibus induerat, in honorem nostri; & personabant passim atria harmonico tubarum, tympanorum, tibiarumqu

rumq; concentu. Ut admissi sumus, satis videbatur excipere familiariter. nam honore manus, more gentis, dignabatur; quod apud illos pro osculo est. Erectus ipse in pedes, & aperto semper capite; credo, ignorantia magis morum, quam judicii delectu. Et Coloretus quidem traditas literas egregia oratione comitabatur; Voluntate Numinum Ferdinandum Principem suum, & perpetuum Domus Saxonicæ Amicum, è vivis sublatum. Cujus etsi dolor ad omnes pertineret, ad illum tamen præcipue; tum, quod sciret, nihil sibi eo facto detractum. Filium Ferdinandum Cosmum in eum finem nos misisse, ut intelligat, eadem ab illo studia, quæ à Patre, expectari posse; nihil illum secus amicitiam cum ipso, & omnia benevolentiæ officia, exerciturum. Ad quæ ille, ne verbo quidem respondit; Elinguem nos, aut beneficio aurium destitutum, opinabamur. nam offen-

offensæ (si qua ulla) nec vultu, nec coloris crebra mutatione prodebātur. oculos tamen, inconstanti volutatione, modo in nos, modo in circumstantē turbam, conjiciebat. cæterum, velut Hermes quidam in trivio immotus excepit sermonem. Alius quidam (Præfectum palatii esse dicebant) & Latinis verbis, sed incongruis, pauca quædam, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, & quibus responderi ne à Delio quidem posset, eructabat. Et nos, quo ulterius ruborem anteverteremus, inclinatis non nihil genubus, discessimus, manumque ultro porrigentis officiosè tetigimus.

Hujus tibi formam describere pœne pudori duco. nihil in illo, quo Principem cognoscas. Immanis bellua; voce, auribus, omni corporis gestu convenienti destituta. nutu tantum & concrepitis digitorum articulis loquitur; nec inter familiares quidem, nisi obscæna quædam

dam, & fere per convitium, jactat. In vultu ejus nihil placidum; rubor & maculæ, è vino contractæ, oris lineamenta confuderant. Vasta corporis forma, proceri & immensi artus, sed inconditi. vestis nullo cultu, sed detrita, & sordibus obsita. Atque, ut in breve omnia contraham, nomine tenus Princeps est. Obriguisse illi membra videbantur, postquam assedit; adeo nec vox illius ulla, nec actio excepta. Nec tunc quidẽ, cum nos honore mensæ dignaretur, aliud, quam subinde surgebat in pedes, eo ipso, hausurum vini poculum pro salute Principis alicujus, significans. Nec præter proxime assidentem quempiam vel tralatitia propinationę, dignum judicabat. Sæpe circumfusos mensæ ministros extrema parte potionis aspergebat. Ludionibus insulsis, scurrisque mimariis, quos fere epulis adhibebat, excussa aliquando palma os verberabat; &, consumpta frigi-

frigidiſſima urbanitate, redibat ad pocula ſua; ad quorum hauſtus omnium tubarum ſiſtrorumque acu-murmura perſonabant; ipſe, ſitalens, æquum dari ſibi per interpretem poſtulabat; nec traditas pateras ullo ſermone aut vultus compoſito decore comitabatur. Uno verbo abſolvam; Saxo ille vere ſaxeus.

Aderant menſæ duo ejus fratres, Iohannes Georgius, & Auguſtus. Huic gibbus in tergo, totius corporis habitum, mores, deformauit. Illi ſubinde in vultum incurrentes rubidæ maculæ, crudelitatis & immanitatis haud obſcura indicia, oris lineamenta velut fuliginea rubedine confundunt. A quibus, etſi fallacibus argumētis, vita ejus neutiquam diſcrepat. Sedebat medius proximo menſæ loco Coloretus, ſupra Principem ipſum & Auguſtum fratrem; Cæteri nobilium ſuo quiſque ordine; Ego Iohanni Georgio dextrum latus claudebam. Ne putes, in ejuſ-

modi

modi convivio dictum quicquam memoratu dignum: obsequio muti Principis, &, ne exprobrare sermone nostro ejus stoliditatem videremur, obmutueramus. Attamẽ, quod dictis deerat, factis supplebatur. Septem, quibus accumbebatur, horis nihil aliud, quam ingentibus vasis, & immensis poculis, certabatur; in quorum haustu palmam proculdubio ipse Dux ferebat. De negotiis aut officio legationis ne verbum quidem; satis ille probe amicus, qui æquum inter pocula fecerit. Strepebant quotidie, dum eramus, atria omnium comessantium & convivantium tumultu; &, quod mirum erat, una in domo 700. mensæ familiaribus Principis instructæ erant; quibus uno momento, dato tubæ signo, ministrabatur. Nolo te magnitudinem ejus Ducis alia quam epulandi bibendique virtute metiri. Alibi parum erit quod in illo mireris; in hoc supra omnes est, am-

phoras binas vini in diem ſiccare velut ex lege ſolitus. Renatus mihi in illo Maximilianus Imperator videbatur, quem Capitolinam amphoram evacuaſſe hiſtoriæ loquuntur: Iam, quanto plus Capitolina, Germanica capiat, nec te quidem fugere arbitror: Ipſe, non ſecus ac Germanus ille Paccuvius, Syriæ Rector, vino ſe & epulis ſepelit; &, quaſi toties ſibi parentarit, in cubiculum à cœna, ad ſymphoniam & barbaros tubarum concentus, effertur. Nullus in vino delectus, nullæ delitiæ in potu; copiam amat: & in uno ſtudium, ut immane quid & ſeipſo plus bibat. Inter hæc continuæ potationis certamina dies nobis aliquot protracti verius quam peracti. nullus enim vivere ſe in perpetua ebrietate & continuo menſæ aſſeſſu putabat. Tandemque, poſt multa comitatis & mutuæ voluntatis officia, in comitatu ingenti Nobilium diſceſſimus, & Berlinum

verſus

versus iter instituimus. Berlinum ingressos excepere duo è prima Nobilitate, Marchionis Brandeburgensis Electoris nomine; & curru, quo vectari Princeps solet, in Palatium duxere. Nec multo post introducti ad Electorem sumus. Qui omnibus nos benevolentiæ testimoniis cumulatissimos dimisit; filioque imperavit, ut nos ad cubicula nostra deduceret: qui perpetuo ex eo tempore in comitatu nostro agebat. Ipse Marchio corpore aliquanto est depressior, promisso capillamento, antiquum Germaniæ in morem. Nihil in moribus ejus singulare, nihil eruditum animadverti. Filius ejus venustissima forma est; cui moribus quoque cultis mire lenocinatur. Multa de se, etsi immatura adhuc ætate, promittit luculenta amœnissimi ingenii signa; quæ nisi otio attererentur, Germaniæ delicias eum gentiles inter Augustos omnium spes haud dubio

ſucceſſu augurarentur. Convenerunt forte eo loci Marchio Anſpacenſis, ejuſdem familiæ; Haſſiæ Lantgravius, aliique, quos inviſere in mandatis erat. Miſit Coloretus, qui Anſpacenſi ſignificaret, ſi cum commodo ejus fieri poſſet, iturum ad eum. Non expectavit humaniſſimus Princeps adventum noſtrum, ſed, ultro adveniens, conſilium noſtrum prævenit. Dolebat Coloretus, nimiam Marchionis humanitatem ſibi vitio eſſe, cujus profuſa voluntate impeditus eſſet ab officio ſuo; ſui hoc eſſe muneris adire Principes, non adiri. Cui alter pari comitate reſpondit, tantum ſe univerſæ Italiæ, & ſeorſim magno Hetruriæ Duci, debere, ut æs illud alienum nullo merito perſolvi, tantum abeſſe, ut nudo humanitatis, imo debiti officio, deleri poſſit. quod humanus eſſe didicerit. Simul accepit literas; quæ, incertum, redditæ ne officioſius, an exceptæ; multumque
ver-

verborum in mutua officiorũ commemoratione consumptum. Est hic Princeps forma, & toto corporis habitu, satis venustus. Vestitu utitur Italico pœne solus; cum plerisque Germaniæ Principum in more, Gallico uti tegmine.

Mox ad Lantgravium itum. Cui ut Coloretus eleganti & culta oratione exposuit vetustam Ferdinandi Ducis, cum ipso juxta, ac majoribus suis, amicitiam; quam utique non degener filius pari adfectu & animo culturus esset: literas porrexit: Quas ut ille, effracto signo, titulo tenus inspexit, commoto non nihil vultu, velut indignabundus, in mensam projecit. Ægre videbatur tulisse, Excellentiæ se titulo, non Celsitudinis, honorari; quod sciebat Electori Brandeburgensi factum. Ita ille pari dolore honorem alienum, & suam injuriam, stomachabatur; nec ullo honoris aut benevolentiæ signo nos ultra dignatus,

 dimi-

dimisit. Intellectum at non multo post; cum nescio quem è cubiculariis suis ad nos mitteret, qui jam libere profiteretur, ac doleret, tantum injuriæ Principi suo factum: scire nos debere, quantum inter Germaniæ Proceres æmulationis. Nec se tam nostri causa id ægre ferre; quorum ignorantiam facillime intervallo locorum & vetusti ritus consuetudini condonaret: cæterum inter tot conscios Principes dissimulari non posse, cum omnes judicium Magni Ducis, suum ad opprobrium vertent. Hoc apud gentiles suos in usu esse, tantum in se mutuo de alio æstimare, quantum ab externis, & potissimum Italiæ Principibus, fiat. Se nullo Principum nobilitate, potentia, inferiorem; solum Comitatus nomen, quod, ex vetustate relictum, jam antiquitate ipsa inclaruit, obstare non posse, quominus Ducibus, Marchionibus, dignitate æquetur: Cui sane magni-

tudini adventu nostro etsi nihil accederet, decedere tamen æquum non esse. Hæc, acriter & magno cum referentis impetu dicta, animos nostros rei novitate pœne affecerunt. Responsum tamen mitius; & excusari visum, quod jam infectum esse non poterat: Nihil causæ domino Principi esse, cur tenuem epistolæ inscriptionem in suæ dignitatis diminutionem acciperet; animum Magni Ducis non ex literis, sed ex legatione existimari debere: Errorem eum fortasse scribarum esse, qui imperitia & hallucinatione lapsi sint: Nos hic esse præsentes eo nomine, ut, si quid peccatum detractumve amicitiæ esset, restauraremus: Proinde voluntatem Principis non scripto metiatur: Scire jam Lantgravium debere, quanto in precio apud Ferdinandum Magnum Hetruriæ Ducem fuerit: Virtutes quoque heroïcas Italorum aures affectasse; quas

nemo sane nostro Principe magis admiratus sit. Tantum moderationibus his, aliisque sermonibus, quæsitum, ut jam ex illo tempore effusius nobiscum & liberalius agere cœperit. Mox me quoque seorsim familiarius amplexus, dicebat, dolere se, aliena in domo, non in propria, sibi id honoris evenisse: mihi ulterius ampliterque magis declaraturum, quid sibi erga me animi esset. Credo, captum varietate linguarum, qua cum illo utebar; quarum ille studio impense tenetur. nam & Græce, & Latine exacte, Hispanice, Italice, Gallice novit; & invidiam quoque Mithridatis famæ facit. augetur ea laus Philosophiæ, præterea & omnium bonarum artium absolutissima cognitione, qua ille ad miraculum excellit. Uno præclarissimam famã suam polluit, quod Theologiæ studio, sive verius illi fanaticæ superstitioni & hęreticæ pravitati nimis pertinaciter deditus, odio

odio Catholicorum, & illi obſtinato affectui, Principalis quoque dignitatis gravitatem remittit; Nam ipſe & in Conciliabulis & Concionibus ſubinde declamat, quo odium adverſus Pontificem, & omnes probæ fidei cultores, ſuis omnibus in univerſum ingeneret: eoque nomine inter ſuorum ſacrorum Principes pro oraculo eſt.

Poſtridie Elector honore menſæ nos dignatus; & quotquot aderant Principes, cum uxoribus & filiabus, ſimul accubuerunt. Condiebantur epulæ variæ non abſurdi ſermonis voluptate; Niſi quod Lantgravius aliquanto parum condito odio liberiuſcule in Pontificios vehebatur; & medio fere convivii, ſumpta ingenti vini patera, aſſurgens, non erubuit pro ſalute Regum Galliæ & Britanniæ, & exitio Hiſpaniarum Regis, propinare. Perculſi ſumus tam indecora & nimis aperta odii infeſti declaratione, & hilaritati

convivii non parum tam aliena parcimoniæ ostentatione detractum. Vitium ostentatione detractum. Videbatur Magno Hetruriæ Duci, jam cum potentissimo illo Monarcha affinitate conjuncto, nimis manifeste convitium facere. Dissimulatum tamen nobis; ordinemque feralis poculi, vagis sermonum injectis ambagibus, corrumpebamus. Coërcuit temerarii impetus invidiam ipsius Electoris humanitas. Videbatur profusis alibi honoribus ejus offensæ memoriam velle delere; nam in comitatu nostro agere perpetuo fratrem & filium jussit; variisque spectaculorum oblectamentis, & venatorio quoque genere inusitato, & novo, affecit. Alio item Lantgravius convivio, tanquam prioris erroris invidiam errorum consuetudine aboliturus, velut per ludibrium ajebat; In animo sibi esse cum Electore Brandeburgensi in Italiam iter facere, modo quis de Inquisitione sponderet;
&;

&, commotis leviter labris, interrogabat, excepturus ne se Magnus Dux liberaliter & libere foret, fidemque pro sacrorum suorum libertate interponeret. Responsum, dissimulato irrisus intellectu, nihil Principi nostro evenire gratius posse, quam, quos tam impenso studio absentes colebat, præsentes amplecti. Nec vero alias unquam Celsitudinis nomine quisquam nostrum Lantgravium compellabat; ejusque adpellationis necessitas apto verborum circuitu declinata. Est Lantgravius satis decoro & procero corpore. majestatem incessu, aspectu, sermone refert: nisi quod vultus dignitatem dentium exporrectiorum prominentia, sermonis elegantiam insectandi mordax studium contaminat.

Exin ad Ludovicum Anhaldinum Principem ventum. Verum dicam, putabã, me in Italiam jam rediisse; adeo

adeo omnia illius Principis Italicos in mores adumbrata. Familia ipſa longa veſte, moribus prorſus Italicis, eſt. Palatii quoque ſtructura non ignobilis, ad eum modum. In eo Principe nihil ab Italo alienum animadvertas; ejus tamen gentis virtutibus, non vitiis, expreſſis. Labii inſuper cultus admirandam facilitatē mira gentili gravitate temperavit. Nobilis Anhaltinorum domus eſt, inter Germaniæ primas; Saxoniæ ſe antiquitate æquiparat, & dignitate: ſed numerus fratrum, æqualibus inter ſe portionibus terras dividentium, multum jam potentiæ detraxit: nec enim apud illos, quod alibi, ſummam rerum penes natu majorem eſt; pari diſtributione partium, jus Dominationis diſtrahitur, &, quod una domus fuit, multæ fiunt. Ita propter antiquitatem generis, parum illis præter cęteros egregium ſupereſt; quod illi moribus, & animi virtutibus, inſi-

insigniter tuentur. Egregia illa fratrum soboles ; quæ virtutibus suis tantum famæ & opinionis, quantum reliqui potentia & magnitudine finium, invenit. Plerisque bonarum artium studia & diuturnæ peregrinationes id laudis pepererunt ; nullus non eorum, quæ pars prudentiæ non ultima est, πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω. Christianus præ cæteris militari fama insignis, & in Gallia popularium ductor, & Regii exercitus Legatus. Atque, etsi acer & infestus Catholicorum hostis, astricte tamen & subdole dissimulat atrocitatem odii sui ; versute versatus inter nos, ut addictissimum nostris sacris putes. Cæterum acta ipsius omnia aliena, nequaquam personatis gestibus respondent. Passim enim antiquæ & veræ fidei cultoribus insultat. Nec dispar fratribus animus. Atque ut militari laude Christianus, ita œconomica Ludovicus excellit. Defe-

ctum ditionis ſua diligentia corrigit, &, quod naturæ deeſt, ab induſtria ſupplet. Cum ibi eſſemus, horti nobis non indiligenti cultu inſtructi monſtrabantur; quibus laborandis municipale vulgus adigebat, iiſque labor ille pro cenſu erat. Et, etiamſi cætero parciſſimus, in adventum tamen noſtrum omnia ſumptu immenſo prodigebat, nullaque liberalitatis aut magnificentiæ officia omittebat: Tanto illi plus bonæ famæ ſtudium, quam pecuniæ eſt. Et, cum in aula illa nihil quicquam eſt quod deſideraremus, in nullo alio parcus quam in potu fuit; quem nobis Italica temperantia præbitum, nulla neceſſitate ad enormes & immodicos hauſtus patria conſuetudine trahebat. Diſcedentes quoque nos, exemplo Saxoniæ Ducis, torque aureo donavit.

Hinc ad Ducem Brunſvicenſem ire conſilium erat; quod tamen peſtilentiæ metus, quam ibi graſſari miran-

mirandum in modum intellexeramus, intervertit. Itaque Francofurtum recta magnis itineribus contendimus; ubi nundinæ nos autumnales, ad miraculum uberes, biduum detinuerunt.

Inde ad Trevirensem Archiepiscopum Electorem, qui tum Confluentiæ agebat, calendis Octobribus accessimus. Is, ubi de adventu nostro certior factus est, summo mane currum suum misit, & è familiaribus quosdam, qui in aulam suam deducerent. Præcedebant currum nobiles quidam, & statores succincti. Ut ingressi; aliquandiu in atrio subsistimus, multum mirantes, cur non recta intromitteremur; &, nisi exploratum fuisset, ignorantia id morũ, non animi perversitate ac studio peccatum, indubie cogitabamus de discessu, erroremque ejus inopinato consilio castigabamus. Tandem post longam cunctationem intromissi sumus; & Elector,

ctor, pauca quædam Italice, sed incongrue, prolocutus, manifestum fecit, nulla fide mala nobiscum agi. Mox multa interposita mora accumbere jussi. jam enim multo ante tempore instructæ mensæ erant; & una reliquis paulo eminentior, cujus caput duæ sericæ sellæ claudebant. Elector Coloretum manu sumptum ad abstergendas manus invitabat, & accumbere in summo mensæ voluit. Quod ille paululum honestissima modestia declinans, tandem accepit; seque dextræ statim suæ Elector applicuit; reliquis nobilium circum assistentibus. Statimque reliquæ mensæ omnes occupatæ. nam & familia tota, nobiles, famulique mensarum, tantum diversitate ciborum distinguebantur. Omnia in isto convivio citra ullum Principis fastum vel apparatum peracta; nisi quod adolescentes quidam phalerati, sed, quantum colligere ex moribus & vultu lice-

licebat, nobiles, miniſtrabant. Multus Electori ipſi mecũ ſermo; & me Germanice, mox Latine compellando, inuſitata familiaritate offundebat. Ita biduum peractum eſt. Poſtremo convivio, multis verborum deliciis ad me verſus, excuſabat tenuitatem ſuam; ne ex levi apparatu ejus voluntatem metiremur; illum loci injuria, & patria frugalitate, facile excuſari; hanc propenſiſſimam alibi quoque declaraturum: proinde animum, non acta, ſpectaremus. Simul Coloreto literas exhibuit, quas ad Magnum Ducem deferret. Quarum ut ille inſcriptionem inſpexit; ubi Illuſtriſſimi tantum titulo inſigniebatur: negavit, ſe ulla ratione literas illas ad Principem allaturum; illam tituli mediocritatem ejus Magnitudini non convenire; à nemine aliter quam Sereniſſimi nomine compellatum; nec eum honorem Saxoniæ vel Brandenburgi Electorem denegaſ-

se: mirum, cur ille solus tam receptum ab omnibus morem cavillaretur. Cum ille contra instaret, & asseveraret, conceptissimis verbis nullum Italicum Principem trecentis abhinc annis alio titulo à prædecessoribus suis insignitum: tum plane Coloretus refragatus est, &, Literas, inquit, mittere si placet, alio quam me internũcio mittas; ego caput meum vocare in discrimen nolo, quod imminui Principis dignitatem facile passus sim. Postulavit à me, liceret inspicere Saxoniæ literas. quibus ut inscriptum Serenissimi nomen vidit, induci se passus est. & literas suas ad se recepit, mutaturumque se fidem dedit, dummodo sciremus, id non judicio aut prava voluntate, sed ex more, factum. Movebat illum proculdubio, se, Electorem Principem, non alio quam Illustrissimi titulo honoratum; nec, si constitisset, Saxoniæ Ducem ampliori honore à

Magno Duce compellatum, ulla ſe ratione ad mutationem propoſiti ſui flecti paſſus eſſet. Miſit tamen literas mane; quibus Sereniſſimi nomen inſcriptum erat. Cæterum nullo nos, ut reliqui, honore, aut munere, dignatus eſt.

Pridie nonarum Octobrium Aſchaffenburgum ad Iohannem Schvveickhardum, Archiepiſcopũ Moguntinum, Electorem, venimus. Is ſtatim domo nos excepit, & menſa uti communi voluit. Ut ad illum exhibitum literas venimus, Illuſtriſſimi titulum conſpiciens, dubitare cœpit, an reciperet. negabat literas eas ſibi ſcribi. Præſciebat offenſionis cauſam Coloretus, & præmeditata oratione argute divertit. ajebat, id ex antiqua conſuetudine, & vitio ſcribarum, propria titulorum ignorantium, eveniſſe, nec nomina in tali officio, ſed animos, ſpectari. ſe in hoc miſſum, ut, quod literis deeſſet, præ-

ſentia ſuppleret. ſcire illum, quanta ſemper Magni Ducis in Religionem, Religionis Antiſtites, & ſeorſim in Electores, officia conſtiterint. vocari in dubium non debere voluntatem ejus. nec ex ſola literarum inſpectione judicandum. Quibus verbis tempeſtive prolatis adeo mitigatus animus Electoris, ut, exceptis literis, & perlectis, nos ultra amplexus oſculo exceperit. nam ego quoque Germanice ſubinde illũ auguſtiſſimo titulo compellabam, erroremque tabularum iterata honorum appellatione eradebam. Ibatur dein in alia ſermonum, varioque colloquio hora prandii trahebatur. Ille, hilarior vultu, nos manu jam prehenſos in triclinium ducebat; & ſupra ſe Fabricium, me infra ſe ad dextrã collocavit. Imperitia ſermonis Germanici, qua laborabat Coloretus, omnis Electoris oratio ad me pertinebat. Ibi multa explorata habere licuit

licuit de animo illius versus Imperatorem, Domũ Austriacam, odio adversus hæreticos & Galliæ Regem. Quem ajebat nulla ratione, & præter æqui, atque adeo humani juris leges, rebus se Germaniæ implicare, quæ ad illum nihil prorsus pertinerent. illum requietis publicæ perturbatorem, & plus apud illũ odium Austriacæ Domus, quam Religionis defensionem valere. arbitrariumne illi, Cliviæ & Iuliæ successionem suis armis decernere? quis illum ad ejus rei judicium vocarit? aut qua fronte in alieno feudo alienissimus arbitrium agat? nimirum Catholicæ fidei & Authoritati Ecclesiæ satis non adhuc decessisse, nisi ope ejus in Germania quoque, auctis Neoburgensis & Brandenburgensis finibus, partes invalescant. Hæc ille libere satis & confidenter mihi; cui linguæ similitudo fiduciam cõciliaverat. Respondi tamen ad omnia, qua potui mode-

ratione, ne & incitatum ejus animum exulcerarem, &, inter initia coëuntis gratiæ, recentia ejus vulnera convellerem: nihil enim illis gravius, quam subsidia fidei hostibus præberi; quorum augmenta omnia ipsis detrimento sunt. Neq; fere ejusmodi sermones silentio & tacita dissimulatione inhibui. Ajebat præterea, inter Electores Catholicos conventum, Legatos ad summum Pontificem & Magnum Hetruriæ Ducem mittere, subsidium adversus hæreticos imploraturos: inter eos secreto nuper conventiculo peractum, conatus hostium quacunq; ratione restinguere; quibus, collatis operis, hoc unum studio, ut Catholicorum quoque memoriam cum viribus delerent. Nosque instantius precabatur, persuadere Duci nostro conaremur, ut, quæ ille arma pro Sacrorum defensione tam gloriose gessisset, eadem suæ quoque tutelæ & præsidio

præstaret. non minoris fore laudis, amicos defendere, quam hostes oppugnare. Posse illum Turcarum arma & impetus suis finibus depellere; quanto proclivius tam felicibus armis domesticam pestem cō-scindere? illis famam tantum expeditionibus & nominis gloriam quæsitam; hic famæ simul & saluti sociorum consultum iri. Respondi ego, nunquam Magnos Duces periclitantibus amicis defuisse, quin dignitatem eorum salutemque suis quoque armis tuerentur: scire hoc Gallias; scire Transylvaniam; scire Cæsarem quoque, qui eorum armorum subsidia multis ancipitibus periculorũ objectis casibus accersierit. in hoc laborare, quo Magni nomẽ Religionis defensione tueatur. proinde, de animo Principis securi, modum ipsi ac opportunum subsidii tempus per Legatos aperiant. His sermonibus magna pars quoq; noctis trahebatur. Tandem,

utrumque blandissime complexus, cum Aulæ suæ toto comitatu in cubicula deduxit. Mane venatum exivimus. Pars equis, pars curribus vehebatur. Vno curru Elector, Coloretus, & simul ego. Et repetita rursus pro Cæsare nonnulla adversum Gallos & gentiles Germanos. Quorum quædam à nobis pronis auribus excepta; multa accersitis verborum ambagibus declinata. Dum discessum paramus, aderat mihi ejus aulæ Præfectus, &, nomine Electoris, torquem mihi aureum cum effigie obtulit. Detrectavi honorem; quod, soli mihi oblatus, carere invidia non posset. Rogavit ille instantius, ne illam injuriam Principi facerem, qui illud apud me in sui memoriam restare vellet. arrhabonem nunc ejus animi acciperem; nec tenuitatem muneris, negligentiæ exprobrarem. privatis se & secretis rationibus adductum, cur seorsim mihi liberalitas illa fieret.

ret. acciperem modo in argumentum propensissimæ voluntatis ejus, donec aliquando testimonia luculentiora agnoscerem. Ita effigiem à torque deductam sumpturum me affirmavi, ut sciret, non illud pergratum de me Electoris testimonium, sed fidei pretium, sperni: eam me vendere nulli velle; illi quoque non debere, cum, ipso jure dignitatis, & cum nostro Principe societatis, totus illius essem. Et nos quidem multo cũ honore dimissi.

De moribus ejus pauca licuit cognoscere: biduum illud, quod cum illo posuimus, satis non erat ad interna illius animi exploranda. Religionis sane studiosissimus est, & pertinax defensor conditionis suæ. Tantum sibi inter suos amoris lenitate quæsivit, ut plurimum votorum pro salute ejus nuncupetur. Vestis illi plane civilis, sine ullo conspicuo Dignitatis ornamento: toga domestica, aut pallium suc-

cinctum; caligæ & thorax Hispanicum in morem: gladio quoque accingitur ubi foras exit. Domi suæ temperans, hilaris, nec nimio potui indulgens. an in nostri gratiam dissimularetur gentile ebrietatis vitium, incertum. tum facile cum reliquis ejus moribus abstinentia congruit. In summam, virum bonum facile dixeris, & in quo nihil fere reprehenderis, quam nimiam facilitatem. Ipse, nobili & antiqua familia, magnitudinem animi operum magnificentia declarat. nam & ingentis impensæ palatia & domos superbe instruit. Nihil intermittit, quod probare Principes possint.

Bidui itinere Herbipolim venimus. Vrbs est in ima ac depressa vallis planitie sita; quam fertilissimi montium colles mire ac plane assurgentes, velut theatrum muri, ambiunt. In excelsiori parte arx est Præsulis; quæ integram planiciem,

&

& urbis quoq; tractum, prospectat. Mediam vallem, & oppidum quoque, Mœnus amnis dividit. Vrbs vetustatem ipso nomine indicat. In qua vix quidquam admirari possis, præterquam quod à præsente pontifice Iulio extructum est. Nam & templa ædesque Deum, magnifici operis, & collegium Musis sacrum, & xenodochium paupertati & senio afflictorum subsidium, pulcherrima hujus urbis ornamenta sunt. Arx quoque ipsa, nuper incendio absumpta, hujus beneficio augustiorem speciosioremque formam cepit. Nam domus ipsa miro structuræ artificio suspicienda. In qua cameræ & atria complura, picturæ, sculpturæ, emplasmatum variis inventis ornata; in quibus omnibus ars cum natura certabat. Stabulum quoque equorum, instructissimum lectissimis equis, & hoplotheca; bombardis æneis non paucis. Tum arx ipsa Mariana, natura munita.

Scilicet ejus ingenium ars quoque adjuvat. nam fossa illam valloque munivit; & dispositæ circum balistæ æneæ, defensioni juxta ac offensioni paratæ. Arcem illam antiquitus Dianæ sacram fuisse, templũ & ara arguit. quam reverentiam antiquitatis, aliquot per annos humanæ curiositatis vitio servatam, fortuitus ignis, profanæ superstitionis castigator, extinxit. Restauravit sedem Iulius, &, damnato impio ritu, Divæ virgini sacram esse voluit.

Eo nos ut venimus, statim præsul omnibus nos humanitatis & benevolentiæ officiis cumulavit. Amplissima cubicula & domus partem nobiliorem assignavit. Ipse frequenter ad nos veniebat, & alios adducere subinde ac reducere ad secessus nostros solebat. Multa quoque de Germaniæ Principum partibus, æmulatione, moribus, quæ iterare longum esset, miscebat. Iisque

que ſermonibus plerumque temporis tractum eſt.

Eſt Epiſcopus ætate confectus, ſed animo integro. nam in ſeptuagenario vix canos ullos animadvertas. annos inceſſus vegetus, integra capitis cæſaries, & nec canis nec calvitie fædata, dementitur. Octo & triginta annos ajebat ſe illa dignitate potiri. Quos ille ſane ingenti cum laude & gloria nominis ſui impendit. Nam & Palatii ſtructura quatuor annos intra confecta, & reliquorum Operum magnificentia, minima pars laudum ejus. Centum & quinquaginta templa in ditione ſua excitavit, & miniſterium divinum probatæ fidei ſacerdotibus inſtruxit. Seminariũ ſuum tam amplis dotavit reditibus, ut centum Theologiæ candidatis, & viginti quinque nobilibus, qui ibi ſtudiis operentur, alendis ſufficiat. Præterea ad mille quingentos literarum ſtudioſos in urbem invexit,

qui

qui doctissimis undique conquisitis Doctoribus mereantur. Ipse libro me donavit, in quo omnia ejus Operum præclara, sub titulo Panegyrici, celebrantur. Quicquid tamen ibi dicitur, minus est; nec, etsi exactissima Mariani facundia, & omni laude major, laudes hujus Principis æquant.

Bambergam inde cogitabamus. Sed illius loci Episcopum paucis ante diebus supremi fati necessitas sustulerat. Successerat in defuncti locum Iohannes Gotfridus ab Aschhausen, Herbipolensis Episcopi regularis sacerdos. Et adhortabatur Iulius, iremus ad illum; fore ut omni officiorum genere cumulatissimos dimitteret. Sed id in mandatis non erat; & nobis præscripta Principis ne puncto quidem egredi propositum erat.

Ergo, mutata viæ ratione, Heydelbergam ad Fridericum Comitem Palatinum Electorem contendimus.

dimus. Ibi comperimus, podagra laborare tam infeste Principem, ut omnes omnium admissiones fastidiret. ipsum atrocissimis & acutissimis doloribus cruciatum lectulo attineri; nec vel domesticum, adeoque ipsius conjugis, aspectum tolerare. Statim, ut in Palatium solito more & honore deducti fuimus, accedũt Comites Solmæ, & sigilli Custos, qui ea de statu Principis exponerent; quod nos, ut fortuitum, casui tribueremus; cætera ministros suppleturos; Et post multos sermones traduntur literæ, quas, ubi integrum esset, Elector perlegeret. Aderat mox pransuris Bipontinus; circumque Comitem comitatus ingens; inter quos medii assedimus. A prandio pro more in ambulatum educimur. Quid in ea urbe viderimus, parum interest referre. Vas illud vinarium portentosum, ingens, quod centum triginta sex vehicula capit. Et equorum stabulum.

bulum. Et hortus, in quo Italicæ deliciæ, arboresque, & fructus; citrea mala, & aurea; punica quoque, quæ cum cœli asperitate pugnabant, & invita quoque hyemis duritie durabant. nam illas ars adversus frigoris intemperiem defendebat. Tabulis illa ligneis incluserant, quæ pluvias & tempestates arcebant. quarum commissuræ admodum concinnæ, & ad amussim compactæ, ut aëris injuriam nullam pertimescerent. Calorem ultro adhibitis hypocaustis fovebant, quæ, undiquaque lateribus adfixa, eleganti invento calorem innoxium & temperatum plantis præstarent. nam incurva & retorta ex ære machina fumum ignis, & noxium vaporem, foras ejiciebat. Palatinam quoque celebrem Bibliothecam inspeximus; & offendimus Ioannem Gruterum nostrum, ejus custodem. Plura per adversam Principis valetudinem cognoscere non licuit.

A Palatinatu nos VVirtembergensis Ducatus & Stutgartum excepit. Locus est amœna in valle depressior, quem undiq; montes ambiunt, nequaquam asperi. Nam leviter per declivia collium assurgentes vini non improbi culturam ferunt. Præcipuum vallis & urbis ornamentum, Domus Principis; amœna hortis; arte, structura non ignobili. Stabulum quoque equorum architecturæ artificio insigne. in quo videbatur Saxoniæ Reguli impensas æmulatus; sed novo more equi diversa statione per cuneos dispositi aspiciebantur. Nullus nos Principum tenuius & languidius excepit. quod tamen prorsus nobis præter expectationem fuit. à nullo enim alio plura aut ampliora officiorum genera nobis spondebamus; quippe cujus Patrem olim in Hetruria & ipse quoque Magnus Dux non trálatitia humanitate excepisset. Ejus rei caussæ conjecta-

bantur, quod nuper Orator ab eo, intellecta morte Ferdinandi, maturè & celeriter missus, etsi præcipuo honore & liberalissime exceptus, nullo tamen munere cohonestatus erat; quod à Germaniæ Principum Legatis velut pro jure exigitur. Et VVirtembergensis, Italicæ gravitatis inimica imitatione, credebatur eadem nos ratione velle tractare, qua suum esse Oratorem tractatum Florentiæ acceperat; nostrasque nobis artes, veluti in aliqua paris magnitudinis æmulatione, reddidit. Stabat ipse in medio atrii erectus, &, nihilo secius quam ipse Cæsar, immotus; nec advenientibus obvius, nec comitatus abeuntes; quod à cæteris tamen Principibus factum. Nihilominus postridie, magis in sui gratiam, ne intermissa patriæ consuetudo ipsi vitio esset, quam amore nostri, mensa nobiscum communi usus est. Et à prandio ad spectacula Circi educimur,
comi-

comitante nos fratre ejus. Quæ etsi nostro honori fieri fingerentur; intellectum tamen, ea ex necessitate fieri, quo equorum habilitati, eadem proximis Ducis nuptiis exhibituri, insuescerent. Die tertia significatum, nos, modo pace Principis liceret, velle discedere: plures quidem dies haud gravate in ejus contubernio posituros; sed ingruere hyemem, cujus asperitatem libenter maturo discessu præveniremus. Responsum ad ea nomine Principis, & postulatum precibus, quibus contra ire nefas erat, unum adhuc illi diem largiremur; esse quæ familiarius conferre utrinque intersit. Accepta statim conditio; nihilque nobis asseverabamus gratius, quam intelligere voluntatem Principis, cui obsequi unicum consilium esset. Ita totum illius diei mane adventum ejus ad nos operiebamur; sed nec ipse, nec illius nomine quisquam aderat; majorq;

ea die solitudo penes nos aulicorum & famulantium, quam ante, erat; nec illi ipsi quidem nobiles, qui ante nobiscum assidui erant, ultra videbantur; nec suspicari causam, etsi omnia rimantibus, licebat; fraudem tamen ministrorum esse arbitrabamur. Iamque frustra per vanam cunctationem consumpto die, tandem nobiles duo adetant, qui pro Duce nunciarent, se toto die distentum non potuisse simul & suæ voluntati & nostræ expectationi satisfacere. simul tradebat literas; aliaque subnectebat multa, quibus irritæ moræ pudorem velaret. Coloretus, etsi quam officiosissime dissimulato intellectu responderet, indignari tamen aliquantum, &, irrisos nos, dolere. Cujus ego rei causam statim subjeci; quod scirem, certum esse, ea fuisse voluntate Principem, ut nos inviseret. Nam & de muneribus, quibus nos donaret, cogitaverat.
Sed

Sed ille, quem antea missum in Hetruriam dixi, constantius asseverabat, ibi nihil tale sibi præstitum; desineret immodicis honoribus imminuere fastigium dignitatis suæ: plus apud exteros gravitate, quam familiaritate profici. Eadem mihi, haud multo post quidem, non postremus ejus aulæ affirmabat; cujus omnis sermo meæ opinioni mire congruebat. Ita summo mane, nullo comitante aulicorum, discessimus; satis mirati, quod solus ille nos, tam parvo in honore habitos, adhuc pene inani frustratione delusisset.

Obiter & veluti παρεργικῶς Vlmam attingere jussi eramus, si per itineris rationem citra ullas viæ ambages liceret. Vt Senatus de adventu nostro certior factus, aderant Primores nobis. Quibus multis & copiosis verbis expositũ magnum Hetruriæ Ducis erga eam Rempubl. studium; quod illis multis ar-

gumentis cognitum & exploratum esse deberet. Eadem sibi de præsenti nostro Ferdinandi filio sponderet: Cujus testandi causa ad eos missi essemus. Et dicto literæ traduntur. Quas illi lecturos se in Senatu ajebant. Nam quominus in Senatum iremus, molestiam ipsorum, morasque temporis prætendebamus. Miraberis forsan, nos cum tam parvi precii Republica tam officiose egisse. Scias, id in mandato fuisse nobis, apud Respublicas omnes diligentissime curaremus, ut illis de Magni Ducis voluntate prolixe constaret. Plus ibi fortasse famæ quæritur, ubi legationis honor ad plures pertinet. A prandio rursum Primores aderant curribus, ut nos ad inspiciendam urbem circumducerent; quam illi satis diligenti cura & impensa quoque ingenti novum in modum muniebant, ex quibus magnitudo eorum spectaretur.

Situm illud oppidum ad Danubii ripas nondum immensi. Nec enim longe ejus primordia inde in ædibus Comitum Furstenbergensium scaturigine fontis prodeuntis. Trans amnem producta planiciem prospectat: à tergo montibus imminentibus premitur. Vrbem, præter aptum loci situm, nitor quoque & ædificiorum atque platearum elegantia commendant, & immensi operis turris, sed irrito labore, non ultra mediam partem erecta.

Noribergam inde magnis itineribus contendimus. Mane, ubi intellectum, venisse nos, aderant Togati duo, multo publicorum servorum comitatu, ajebant, Magistrum civium, & è Senatu unum esse. Vt intromissi sumus, multis & speciosis verbis expositum studium Ferdinandi Ducis erga eam Rempublicam perpetuo cum ejus subditis & mutuo mercimoniorũ commercio: Idem Cosmo Duci ani-

mus; qui eam ob rem nos ad eos miserit: Aliaque complura, sensu eadem, verbis diversa. Quibus illi, Italici sermonis periti, satis congrue & pro re respondebant.

Inde ad aspiciendam urbem præclaram eximus, indubie Germaniæ primam. In qua hoc præ ceteris mireris, quod, ingenti & sterili planitie sita, nec abundantia rerum, nec opulentia, nec magnitudine, ulli aliarum Germaniæ urbium secunda sit: Causam haud absurdam reor, quod sterilium locorum ingenia hominum ad exercitionem, virtutem, & variarum artium disquisitionem acuuntur, & duritie soli cœlique acrius animantur. Illæ, quæ ubertim & copiose omnia promũt, terræ, fiducia locorum nimia effæminant incolas & enervant. Ἀ πενία διέφαινε μόνη τέχνας ἐπεγεῖραι. Id argumento facile colligas, quod hujus oppidi cives omnium rerum subtilissimis inventis nulli cedunt,

& in maxima loci inopia omnium rerum affatim copia eſt. Contra Bohemi, in feliciſſimo & ubere terræ proventu torpentes & languidi, multis quoque ad vitæ ornamenta requiſitis deſtituuntur.

Noriberga Neoburgum diſceſſimus, ſedem Philippi Ludovici Comitis Palatini, ætate jam confecti, ſed viribus integri. Effuſis ille nos honoribus & prolixe excepit. Eadem illi, ut reliquis, expoſita; & apud bonum Principem & amicitia cognitum minus adhibendum artis fuit; ſincere cum illo omnia & ex fide pertractata. Dolebat ſubinde abeſſe domo filios, quorum nobis præſentia indubie ſolatio & voluptati eſſet; temporis quippe rationem majori cum hilaritate in eorum comitatu poſituros. Horum natu major in Belgio erat, hæreditatis Cliviæ & Iuliæ adeundæ gratia; cujus ille rationes cum Cæſare & Brandenburgenſi cavillabatur.

Alter Stutgardum ad ejus Ducis nuptias magno cum comitatu aulicorum profectus. Tertius peregrinatione detinebatur.

Situm quoque Neoburgum ad Danubium, editiori paululum loco. Nomen oppidi nulla magnitudine, solis portarum clauſtris, tuetur. Sed moliebatur jam Dux nova munimenta, & extendere oppidi terminos, noviſque aliunde accerſitis civibus implere parabat.

Auguſtam mox Vindelicorum appulimus. Statimque aderant Vrbis Duumviri. In quibus flos hominum Marcus Velſerus; vir, in quo nec invidia invenit quod calumnietur. Legationis officio levi oratione peracto, in alia ſermonũ itum. in quibus fere ſolus Velſerus auditus eſt; reliquis admiratione viri, & diſparitatis metu tacentibus. Nulla ea civitas benevolentiæ & humanitatis officia intermiſit; quod & illi imputandum, quem Patrem

Patriæ

Patriæ, ſicut totius Germaniæ ornamentum, non inepte indigites.

Vrbem ipſam tacendo laudavero, ne quid noſtræ deſcriptionis tenuitate detrahatur. Dies nos aliquot in mirandorum operum admiratione & contemplatione detinuit. Fontes, ſtatuarum elegantiſſimis ornamentis decorati. Hoplotheca, vario armorum genere inſtructa. Aquæ ductus ingentes, quibus è proximo flumine hauſtam aquam per urbem variis meatibus diffundant. Et, quod inter ſeculi miracula numeres, horologii inventum, ad quod nec Memphitici labores, & illæ vaſtæ pyramidum moles, non Epheſium illud delubrum, non denique quicquid Romana manus & ſeculorum ingenia fecerunt, comparanda. Ipſa quippe natura ad imitationem ſui obſtupeſcit; nec reliquum ultra quicquam arti eſt, niſi natura altera, aut alia fiant. Quicquid in cœlo, quicquid

quid in perpetuo illo & æterno ſuperiorum domuum motu miramur, & in quo minimum pene, quod videtur, vides, illud uno in opere hujus expreſſum. Imitata eſt una manus, quod tot ſecula vix agnoverunt; & hujus imitatione collectum, quod ne oculis quidem colligitur. Hic, quicquid Eudoxus, quicquid Chryſippus, & alii cœleſtium motuum Magiſtri, longa ſpeculatione obſervarũt; hic omnium fixorum & errantium motus; hic Solis, hic Lunæ alterius condita & producta varie lumina; quicquid denique cœlum, quicquid natura fecit, facitque, uno opere, una machina expreſſum eſt. Cujus ſane mirandi Operis ſolus aſpectus facile longæ Legationis diſpendia mereatur.

Quod ſane ut omnium operum & artium complementum & finis, ita finis Epiſtolæ meæ erit. Reliqua præſtantiæ tuæ, aut alteri Epiſtolæ repo-

reposui; in qua de moribus Germanorum aliisq; observatis mihi prolixe agetur. Vale. Augustæ Vindelicorum, Calend. Decembr. Anno ut supra.

F I N I S.

